

# De Orthographia Latina

1. *Cur iterum de orthographia latina?*—Cum de re agatur haud parvi momenti multisque difficultatibus implicata, quamvis de eadem pluries jam consulto aut obiter disputaverim <sup>1</sup>, amicis hortantibus ne dicam prementibus, placuit mihi fusius iterum, quam mos est, de orthographia latina disserere meamque totam sententiam explanare. Jam vero mentis cogitata hac triplici partitione expromere curabo:

I.—Praenotanda quaedam

II.—De orthographia historica.

III.—De orthographia practica

## I.—PRAENOTANDA QUAEDAM

### A.—MOMENTUM ET GENERA ORTHOGRAPHIAE LATINAE

2. *Rei momentum.*—Atque in primis de hujus rei momento atque praestantia. Non dubito quin futuri sint plerique qui leve et intempestivum autument nos de orthographia latina <sup>2</sup>, nunc iterum de industria agere; tamen tanta est hujus rei

---

<sup>1</sup> *De orthographia latina*, «Palaestra Latina», nn. 66-74 (1941-1942). *La ortografía latina*, «Helmantica» 7 (1956) 209-260. *Normas metodológicas*, «Helmantica» 1 (1950) 41-45: *Reglas ortográficas*.

<sup>2</sup> QUINT. 1, 7, 3... *redit illa cogitatio, quosdam fore qui haec quae diximus parva nimium et impedimenta quoque majus aliquid agentibus putent.*

difficultas tantaque in hac re temporum inconstantia hominumque incuria ut pium sit, non tantum humanum, ratem in alto fluctuantibus solve.

Hoc idem fecit clarus Cassiodorus, qui anno aetatis nonagesimo tertio *ad amantissimos orthographos discutiendos* se contulit (KEIL, GL VII 144 14-18), ut ad rem magni momenti et utilitatis, cum de re ageretur a *tot tantisque auctoribus tractata* (KEIL, GL VII 209 7-23).

3. *Scopulus vitandus*.—Sed cum nonnulli, novarum rerum adeo sint cupidi ut quidquid a consuetudine abhorreat id immature probent, nonnulli vero ita litterarum latinarum expertes ut nihil rectum nisi quod ipsorum moribus conveniat putent, ego, in hac de orthographia latina expositione, *utrumque scopulum vitare mediamque viam servare* contendam. Qua re a trita via non prius recedam quam rationes utrimque rite perpendero probatasque ab auctoribus cognovero. Ergo, lector humanissime, si quando consuetudinem tuam offendimus noli novatoris notam nobis inurere. Manum porrectam potius deoculari atque in hac sententiarum voragine in navem salutis conscende.

4. *Confusionis causae*.—Multiplices sunt enim causae confusionis in orthographia latina, teste J. Llobera <sup>3</sup>:

1) Scribendi ratio diversa diversis temporibus latinae linguae.

2) Scribendi ratio *phonetica* vel *etymologica*; alii enim orthographiam pronuntiationi, alii derivationi accommodant.

3) Pronuntiatio diversa.

4) Scriptura codd., qui saepe inter se pugnant.

Adde varias scribendi rationes quibus orthographia vitiatur. Q. Terentius Scaurus *quattuor* —inquit— *modis orthographia vitiatur per adjectionem, detractionem, immutationem, adnexionem; recorrigitur vero regulis tribus, historia, originatione, quam Graeci ἐτυμολογίαν appellant, proportione, quae a Graecis ἀναλογία*

<sup>3</sup> LLOBERA, *Gramm. Classicae Latinitatis*, Barcinone, Subirana, 1919, pág. 189.

*dicitur* (KEIL GL VII, 11-12). Sunt qui de *oculorum, manuum, memoriae, mentis, aurium erroribus* loquantur <sup>4</sup>.

5. *Cur orthographia tam varia.*—Praeterea ipsa *litterarum latinarum inaequalitas*, quo fit ut non semper respondeat scriptura sonui, causa est cur orthographia saepe mutetur in annos ut plane et consulto declarant, inter alios, Brugmann <sup>5</sup>, Niedermann <sup>6</sup>. Hinc necessitas distinguendi inter orthographiam historicam et orthographiam practicam, quod quidem magni momenti est.

6. *Orthographiam historicam* eam dicimus quae ab auctoribus diversorum tractu temporum usurpata fuit et in inscriptionibus et codicibus prostat. Haec vero orthographia historica ad interpretandos et restituendos auctores in editionibus criticis, in scientificis citationibus, in inscriptionibus recognoscendis adhibeatur. Huic ergo vacent qui linguae latinae integram cognitionem in universitatibus litterarum curare debent, quique classicis auctoribus edendis vel disciplinis archaeologicis dant operam. Exquirere ab omnibus, etiam pueris, scientiam orthographiae historicae nihil est nisi confusionem in mentem inserere scientiaeque et usui latinae linguae officere.

Est enim historica orthographia varia nimis et saepe, perinde atque omnia, in annos mutata: quandoque et inter ipsos aequales dispar nec semper in uno eodemque scriptore constans. Unde alia est scriptura Claudio Caeco, alia Ennio, alia Sallustio, alia Ciceroni, alia Quintiliano tribuenda <sup>7</sup>.

7. *Orthographia practica* ea est quae nostris temporibus a

<sup>4</sup> DAIN, *Les Manuscrits*, Paris 1949, pp. 37-51.

<sup>5</sup> BRUGMANN, *Abrégé*, Paris 1905, pp. 43-44.

<sup>6</sup> NIEDERMANN, *Minutiae latinae*, pp. 45 ss.

<sup>7</sup> J. M. PABON, *Salustio I* (Colección Hispánica), in p. LXIX haec habet de Sallustio scriptore: «...movedizo es el terreno en que hay que asentar las decisiones en este punto (de su ortografía), pues de un lado los latinos carecían de normas y aún de hábitos constantes ortográficos, y de otro no hay duda en que los copistas han ido modificando la escritura conforme a los usos de su propio tiempo. Los editores modernos se han esforzado, pues, en remontar la corriente y es posible, como apunta Ernout (Pref. 47), que en algún caso hayan ido demasiado lejos: toda reacción en un sentido o en otro suele traer extravíos».

probatoribus scriptoribus firmis rationibus et usu constanti firmoque sancitur. Haec ad informationem puerorum adhibeatur atque ad latine quoque scribendum, non tantum in familiaribus litteris, sed etiam in scientificis operibus, latinis ephemeridibus et commentariis, et in classicorum editionibus pro alumnis digestis.

8. *Non nova sed vetus distinctio.*—Quae distinctio orthographiae historicae ab orthographia practica non est nova, sed jam a Mario Victorino, vertente saeculo IV, proposita his verbis: *erit itaque in principio dicendum quem ad modum antiqui scripserint (=orth. historica), dehinc quid tunc debeamus observare (=orth. practica)*<sup>8</sup>; eandem clarissimi viri BRUGMANN<sup>9</sup>, HAVET<sup>10</sup> aliique recentes propugnant.

#### B.—PRINCIPIA ET PRAECIPVAE LEGES

9. *Orthographiae principia.*—Quae cum ita sint ne in scribendo ancipites hinc et illinc agitemur, neque inaequalitate verborum oculi offendantur legentium aut in errorem inducantur animi, principia nonnulla ante oculos habeamus:

1) Vocalitatem seu *euphoniā* in orthographia latina prae primis quaeramus oportet. QUINTILIANUS enim «ego —inquit— nisi quod consuetudo obtinuerit sic scribendum quidque iudico quomodo sonat» (I 7, 30); et paulo ante, Romani —ait— «sicut scribebant etiam loquebantur» (I 7, 13). Idemque monet ut «quod melius sonet malis» (I 5, 4).

2) CICERO aliique vocalitatem quoque propugnabant. Habes testimonia apud Cmos. viros MAROUZEAU<sup>11</sup>, ANDRIEU<sup>12</sup>, in mea disputatione «*La Ortografía Latina*»<sup>13</sup> in commentariis «*Helmantica*» edita.

<sup>8</sup> KEIL GL VI 7, 36.

<sup>9</sup> BRUGMANN, *Abrégé*, p. 44: «C'est pour cela que l'on a si souvent une orthographe dite *historique* à la place de l'orthographe *phonétique*».

<sup>10</sup> HAVET, REL [Revue des Etudes Latines, Paris] 2 (1924) 33.

<sup>11</sup> MAROUZEAU, *Stylistique Latine*, Paris 1946, pp. 36-45.

<sup>12</sup> ANDRIEU, REL 24 (1946) 287-289.

<sup>13</sup> J. DELGADO, *Hel.* 7 (1956) 221-228.

3) CASSIODORUS <sup>14</sup> hanc habet notissimam sententiam: *aliter scribere, aliter pronuntiare recordis est*, quam tribuit Papiriano grammatico.

10. *Praecipuae leges.*—LUCIANUS MÜLLER, <sup>15</sup>, inter orthographos superioris saeculi antesignanus et facile princeps, has praecipuas leges summamim proponit:

1) In latina lingua servandus est mos scribendi, qui obtinuit apud cultissimum quemque Romanorum saeculo eo, quod fuit inter Augusti mortem et Trajani (ab a. p. Ch. 14 ad 117), proximum illud aureae litterarum latinarum aetati, cujus quidem auctores, exceptis Varrone et Lucretio et Sallustio, qui etiam in orthographia amant archaismos, prope accedunt ad usum scribendi saec. p. Chr. primo. Nam orthographia priorum temporum partim subobscura propter penuriam testimoniorum, partim vetustate horrida, partim a posterioribus saeculis deformata.

2) Ubi duplex constat scriptura, ea est adhibenda quae commendatur soni suavitate, quam Graeci dicunt *euphoniā*. Hic fuit mos in pronuntiando tum apud veteres tum apud mediaevos ut ex vernaculis linguis satis constat. Quod si fecerimus, Ciceronem ipsum latini sermonis arbitrum sequemur, qui dixit in *Oratore* (48, 160), se in eis, quae aliter sua aetate efferrentur atque prisca, usum loquendi populo concessisse, scientiam sibi reservasse. Scribendum igitur *tempto*, non *temto*; *colligere*, non *conligere*; *causa*, non *caussa*; *tres partes*, non *tris partis*; *quendam*, non *quemdam*.

3) Vitanda, sicut inusitata verba, ita et degener scriptura quamvis vetusta, excepto si ea utaris cum certo et rationabili consilio, velut ad imaginem quandam antiquitatis reddendam aut irridendi causa.

4 Ceterum, quantum fieri potest, scriptura sermoni respondeat. Quintilianum sequamur dicentem: *Ego, nisi quod consuetudo obtinuerit, sic scribendum quidque judico, quomodo sonat.* (1, 7, 30).

11. *J et V retinendae.*—Ceterum cum impigro Emm. Jovéó,

<sup>14</sup> KEIL GL VII 161, 9.

<sup>15</sup> MÜLLER, pp. 5-6.



dilectissimo magistro commentariorumque, quibus titulus «Candidatus Latinus» et «Palaestra Latina», conditore et moderatore, litteras *V* et *J* retinendas propugnamus, ut mos fuit communis superioribus saeculis <sup>16</sup>. Quod si has litteras renatus tempore inductas dixeris nec ideo a Romanis usitatas, tamen cum proprio et diverso sonui respondeant, nescio cur a litterarum latinarum serie rejiciendae.

### C.—BIBLIOGRAPHIA

12. *Auctorum index*.—Nolumus indicem orthographicum auctorum omnino absolutum proferre; satis sit nonnullorum orthographorum series. Quod vero ad pristinos scriptores attinet et ad scriptores renatarum litterarum summam haec tantum opera quae praecipue putamus, proponimus:

1) *Antiqui orthographi*, qui in recensione Grammaticorum Latinorum collecti ab H. Keil inveniuntur:

KEIL GL=H. KEIL, *Grammatici Latini*, vol. VII Lipsiae Teubnerii, 1857/80.

2) *Historia orthographiae latinae* a cl. STRZELECKI in RE (Pauly-Wissawa) XVIII, 2.<sup>o</sup>, 1456-1484 (1942).

3) Ex scriptoribus renatus temporis sufficiat tantum Aldum Manutium commemorare:

A. MANUT=ALDI MANUTII, *Orthographiae ratio ex libris et monumentis antiquis collecta*, Lipsiae 1607.

### 13. *Orthographi hodierni*.

ANTOINE=F. ANTOINE, *Manuel d'Orthographe Latine*, Paris, Klincksieck, 1881.

BRAMBACH N.=BRAMBACH, *Die Neugestaltung der lateinischen Orthographie, in ihrem Verhältnis zur Schule*, Leipzig, Teubner, 1868.

BRAMBACH H.=*Hilfsbüchlein für lateinische Rechtschreibung*, Leipzig, Teubner, 1876. Trad. fr: *Manuel d'orthographe latine.*, Paris, Klincksieck, 1881.

EDON Écrit=G. EDON, *Écriture et Prononciation du latin savant et du latin populaire*, Paris, Berlin 1882.

<sup>16</sup> EMM. JOVE, «Cand. Lat.», n. 11, pp. 4-5; cfr. n. 8, p. 39-40; «Palaestra Latina», nn. 19-23 (1932-1933), pp. 7, 20, 39, 62, 69.

EGGER *Lat.*=C. EGGER, *Orthographia Latina*, in «Latinitas», I (1953) 308 ss.; II (1954) 78 ss.

EGGER *Lex.*=C. EGGER, *Lexicon nominum virorum et mulierum*, Romae, 1957.

HAVET *Man.*=L. HAVET, *Manuel de critique verbale appliquée aux textes latins*, Paris, 1911. Agit quaestiones nonnullas de re orthographica.

BIBLIC.=INSTITUTUM BIBLICUM, *Leges in scriptis Pontificii Instituti Biblici servandae*, Romae, Pont. Inst. Bibl. 1913.

J. DELGADO *Pal.*=JIMENEZ DELGADO, *De Orthographia Latina*: «*Palaestra Latina*», n. 66-74 (1941-1942).

LEWIS-SHORT=LEWIS-SHORT, *A Latin Dictionary*: Oxford Clarendon Pr., 1923: Index orthographic, pp. V-VI.

LLOBERA=J. LLOBERA, *Grammatica Class. Latinitatis*, Barcinone Subirana, 1919, pp. 189-200.

MÜLLER=L. MÜLLER, *Orthographiae et Prosodiae Summarium*, Petropoli C. Ricker, 1878.

OLEZA=OLEZA, *Gramática Latina*, Barcelona Subirana, 1942, pp. 734-752.

B. RÖTTER, *Die Aussprache des Lateinischen*, Limburg an der Lahn 1925.

STAMPINI=STAMPINI, *Trattato dell'Ortografia Latina*, Torino Loescher 1882.

#### 14. Studia generalia.

ANDRIEU=ANDRIEU, *Problème d'histoire des textes*: REL (Revue des Etudes Latines, Paris Les Belles Lettres) 24 (1946) 271-314.

BUCK=C. D. BUCK, *Notes on Latin orthography*: CR (Classical Review, Oxford University Pr.) XIII (1899) 116-119; 156-157.

DIEHL *Alt.*=E. DIEHL, *Altlateinische Inschriften*, Berlin, Walter de Gruyter 1930<sup>3</sup>.

ECKINGER=I. ECKINGER, *Die Orthographie lateinische Wörter in griechischen Inschriften*, 1892.

GONZ. DE LA CALLE=P. U. GONZALEZ DE LA CALLE, *Expresión gráfica de los fonemas latinos*: en *Varia*, Madrid, Vict. Suárez, 1916, pp. 107-154.

GRAUR=A. GRAUR, *I et V en latin*, Paris Champion, 1929.

HAVET. *Orth.*=L. HAVET, *Orthographie et critique verbale*: «Bull. de l'Assoc. G. Budé», 3 (1924), 18-21.

J. DELGADO, *Hel.*=J. JIMENEZ DELGADO, *La Ortografía Latina*: «*Helmantica*» 7 (1956) 209-260.

JORDAN=H. JORDAN, *Quaestiones orthographicae Latinae*: «*Hermes*» XV (1881) 538-543.

JOVE=EMM. JOVE, *De Orthographia*, «*Candidatus Latinus*», n. 8-11.

LAURAND=L. LAURAND, *Remarques sur quelques questions de grammaire latine*: «*Les Etudes Classiques*», Namur 1939 3-14.

MAROUZEAU=J. MAROUZEAU, *Ecriture et Prononciation*: cfr. «*Introduction au Latin*», Paris, Les Belles Lettres 1948, pp. 14-26.

MEILLET, *Probl.*=A. MEILLET, *Le problème de l'orthographe latine*: REL 2 (1924), 28-34.

MEILLET, Es.=A. MEILLET, *Esquisse d'une histoire de la langue latine*, Paris Hachette 1948<sup>5</sup>.

MURRAY=J. MURRAY, *Recomendations of the Classical Association: The Teaching of Latin and of Greek*, London 1912.

NIEDERMANN=M. NIEDERMANN, *Phonétique hist. du latin*, Paris Klincksieck 1953<sup>3</sup>.

NIEDERMANN=M. NIEDERMANN, *Minutiae Latinae: Deux conséquences de l'insuffisance de l'alphabet latin: Mélanges Saussure*, Paris 1908, 45 sg.

SABBADINI=R. SABBADINI, *L'anomalia e l'analogia nell'ortografia latina: Riv. di Filologia e d'Istruzione Classica*, Torino Chiantore, 1903, 19-45.

VAANANEM=V. Väänänem, *Le latin vulgaire des Inscriptions Pompéennes*, Helsinki 1937.

### 15. *Studia specialia.*

ANDERSON=A. A. ANDERSON, *Ei-readings: TAPhA* (Transactions and Proceedings of the philological Association, Wesleyan University Middletown Conn) XXXVII 73 sg.

J. COLLART, *Varron «De lingua latina»*. Texte établi, traduit et annoté, Paris, Les Belles Lettres, 1954, pp. XLI-XLII.

L. HAVET, *Notes critiques sur Properce: «Biblioth. Ecole H. E.»*, fasc. 220, Paris Champion 1916, pp. 5-6.

M. LENCHANTIN DE GUBERNATIS, *L'ortografia di Lucrezio: Boll. di Filologia Classica*, Torino Chiantore XXXI (1924), 17 ss.

W. M. LINDSAY, *The orthography of Martial's epigrams: Journal of Philology*, London Cambridge XXIX (1903), 24 ss.

J. MAROUZEAU, *A propos de la graphie EI=I: «Mémoires de la Soc. de linguistique»*, XXII, 276-280.

J. MAROUZEAU, *La graphie EI=I dans le palimpseste de Plaute: Mélanges Chatelain*, Paris Champion 1910 150-154.

B. ROMANO, *Appunti sull'ortografia di Marziale: Atti della Academia delle Scienze di Torino* LIV 239-251, 262-270.

R. SABBADINI, *L'incoerenza nell'ortografia vergiliana: RIC* LVII (1925) 333-336.

W. WEINBERGER, *Der Dichter Ennius als Verfasser eines orthogr. Hilfsbuches: Philologus*. Leipzig Dieterich 1904, 633-636.

## II.—DE ORTHOGRAPHIA HISTORICA

16. *Saepe mutata est.*—Fluxa fuit et mobilis orthographia latina. Quod Quintilianus testatur: *orthographia —inquit— consuetudini inservit, ideoque saepe mutata est* (I 7, 11). De hac re et simplici lectione inscriptionum facile nobis persuadetur. Verborum exempla afferro ex fasciculo eximii DIEHL *Lat. de antiquis inscriptionibus*, quibus confirmatur quam diversa




fuerit ratio scribendi apud antiquos epigraphistas a ratione scribendi aetate recentiore <sup>17</sup>.

Abducit 539, adiesent 262, arfuisse 262, aruorsu 257, 262, aduocapit 138, aastutieis 122, duenos (=bonus), 720, duonoro (=bonorum) 541, caputalem 262, cosmis 720, conquaeisiuei 430, consol 49, coirauere 2, 31, 68, 73, 76, 122, 143, coerauere 26, 38, 69, 72, 101, 103, 126, courauerunt 251, 394, coraueron 12, cuurauerunt 690, quom 262, 9, 18, 270, etc., qum 356, 584, 611, quonque 264, qur 836, qura 583, kalatorem 254, cratia 65, fhefhaked (=fecit) 719, hec (=non. masc. sing.) 541, honce (=hunc) 256, haace (=hāc) 268, iouesat (=jurat) 720, iuoestod (=justo) 254, iouxmenta 254, popolum 268, 14, poplus 263, poplom 271, poublicom 265, sakros 254, testimonium 268, 3, trebibos (=tribubus) 227, oino (=unum) 541, uootum 175, oitile (=utile) 264.

17. *Etiam in vernaculis linguis.*—Quod non tantum ex latinis scriptoribus constat, sed etiam ex scriptoribus vernaculis. Neque enim apud nos Alfonsus X in *Las Partidas*, Sta. Teresia in *Las Moradas*, Saavedra Fajardo in *La República literaria*, Menéndez Pelayo in *Los Heterodoxos Españoles*, Pemán in *Poema de la bestia y el ángel*, eandem scribendi rationem servaverunt; neque monumenta archaica inter Latinos cum scriptis mediae aut infimae latinitatis conveniunt; e contra subinde maxime differunt. Sint ex. gr. haec pauca archaica documenta, quorum transcriptione in classicam orthographiam hoc facile evincitur.

18. *Fibula Praenestina* (CIL I<sup>2</sup> 3, XIV 4123; CONWAY, *Italic Dialects*, 280; DIEHL, *Alt.* 719). Agitur de aurea fibula in sepulcro quodam Praenestino inventa, quae nunc Romae in Ecclesiastico Museo asservatur. Sculpta et caelata creditur circa annum 600 a. Chr. n. <sup>18</sup>. Sic se habet:




MANIOS MED FHE FHAKED NVMASIOI

*Manius me fecit Numerio*

<sup>17</sup> Exempla exprompsi atque exscripsi ex opere DIEHL *Alt.*, Berlin 1930.

<sup>18</sup> Cfr. H. DESSAU, *Inscriptiones Latinae Selectae*, 8561; A. ERNOUT, *Re-*

19. *Inscriptio «duonos» dicta, saec. VI ante Chr. n. certo certius in vase antiquissimo scripta et Romae recens a. MDCCCLXXX apud Quirinalem inventa* <sup>19</sup>:




iouesatdeiuos quoimedmitatneited  
endocosmisuircosied / astednoisio-  
petoitesiaipakariuois / duenosmed-  
fecedenmanomeinomdzenoinemed  
ma(l)ostatod.

*Jurat deos, qui me mittit, ni in  
te comis virgo sit, / ast... utens, ei  
pacari vis: / bonus me fecit in bo-  
num... die nono me malus statu (?)*


*cueil de Textes latins*, Paris, 1938, 1; RUBIO-BEJARANO; *Documenta ad lin-  
guae latinae historiam illustrandam*, Madrid, 1955, 1. Digamma tunc tem-  
poris pro *f* utebatur: *Fhe Fhaked*; cfr. LEJEUNE, *Notes de linguistique Ita-  
lique*: REL 35 (1957), 97.

<sup>19</sup> CIL I<sup>2</sup> 4; DIEHL, *Alt.* 720; ERNOUT, *Recueil* 7; RUBIO-BEJARANO,

20. *Epitaphion Scipionis, consulis a. 259 a. Chr. n.* <sup>20</sup>:

cornelio l. f. scipio  
aidiles. cosol. cesor.

*Cornelius L. f. Scipio*  
*Aedilis Consul Censor*

21. *Elogium Lucii Scipionis, consulis anno 259 ante Chr. n.* <sup>21</sup>:

honc. oino. ploirume. consentiont.  
r... / duonoro. optumo. fuise. viro  
/ luciom. scipione. filios, barbati /  
consol. censor. aidilis. hic. fuet. a...  
/ hec. cepit. corsica. aleriaque. ur-  
be / dedet. tempestatebus. aide me-  
retod.

*hunc unum plurimi consentiunt*  
*(Romani) / bonorum optimum fuis-*  
*se virum / Lucium Scipionem filium*  
*barbati / Consul Censor Aedilis hic*  
*fuit a(pud nos) / hic cepit Corsi-*  
*cam Aleriamque urbem / dedit*  
*tempestatibus aedem merito.*

*Documenta 3*, ubi varias interpretationes invenies clarissimorum Bücheler, Stolz-Debrunner, Fraser, Pagliaro, Dirichs cet. Cfr. J. DELGADO, *Hel.* 217-222.

<sup>20</sup> CIL I<sup>2</sup> 8; DIEHL, *Alt.* 540; ERNOUT, 14; RUBIO-BEJARANO, 18; K. GOETZKE, *Tabellen und Uebungen zum Vulgärlatein*, Leverkusen, 1947, p. 50.

<sup>21</sup> CIL I<sup>2</sup> 9; DIEHL, *Alt.* 541; ERNOUT, 14; RUBIO-BEJARANO, 18.

22. *Tusculana inscriptio*, quae in pila quadam ad sepulcrum Furii inventa est <sup>22</sup>:

M. Fourio C. f. tribunos /  
[milita]re de praidad Fortune  
dedet.

*M. Furius Caii filius tribunus / mi-  
litaris de praeda Fortunae dedit.*

23. *Senatus Consultus de Bacchanalibus* in lamina seu tabula aenea incisus a. ante Chr. 186, quo dissoluti et effrenati ritus vitaeque luxuriosa iisdem ritibus detecta omnino corrigeretur et aboleretur <sup>23</sup>:

Q. Marcius L. f., S. Postumius  
L. f. cos. senatum consulerunt n.  
Octob. apud aedem / Duellonai.  
sc. arf. M. Claudii M. f., L. Valerii  
P. f., Q. Minucii C. f.

*Q. Marcius L. f(iilius), S(purius)  
Postumius L. f(iilius) cons(ules)  
senatum consulerunt N(onis) Oc-  
tob(ribus) apud aedem Bellonae.  
Sc(ribendo) adf(uerunt) M. Clau-  
di(us) M. f(iilius). L. Valeri(us) P.  
f(iilius), Q. Minuci(us) C. f. f(iilius).  
De Bacchanalibus qui foederati es-  
sent ita edicendum censuere:*

De Bacchanalibus qui foederati /  
essent, ita edicendum censuere:

«Nequis eorum Bacchanal habuisse  
vellet. sei quis / essent, qui sibi  
dicerent necessus esse Bacchanal ha-  
bere, eis uti ad pr. urbanum //  
Romam venirent, deque eis rebus,  
ubi eorum ver[b]a audita essent,  
uti senatus / noster decerneret,  
dum ne minus senator[i]bus C ad-  
essent [quom e]a res consuleretur. /  
Bacchanal vir nequis adiesse vellet  
civis Romanus neve nominis Latini  
neve socium / quisquam, nisi pr. ur-  
banum adiesent, isque de senatus  
sententia, dum ne / minus se-  
natoribus C adessent quom ea res  
consuleretur, iussisset. ce[n]suere //

«*Nequis eorum Bacchanal habuis-  
se vellet. Siqui essent qui sibi di-  
cerent necesse esse Bacchanal ha-  
bere, ei uti ad pr(aetorem) urba-  
num Romam venirent, deque eis  
rebus, ubi eorum verba audita es-  
sent, uti senatus noster decerne-  
ret, dum ne minus senatoribus C  
adessent cum ea res consuleretur.  
Bacchanal vir nequis adiesse vellet  
civis Romanus, neve nominis Lati-  
ni, neve sociorum quisquam, nisi  
pr(aetorem) urbanum adiesent, is-  
que de senatus sententia, dum ne  
minus senatoribus C adessent cum  
ea res consuleretur, iussisset. Cen-  
suere.*

Sacerdos ne quis vir esset. magis-  
ter neque vir neque mulier quis-  
quam esset, / neve pecuniam quis-

*Sacerdos nequis vir esset. Magis-  
ter neque vir neque mulier quae-  
quam esset neve pecuniam quis-*

<sup>22</sup> CIL I<sup>2</sup> 48; DIEHL, *Alt.* 64; ERNOUT, 31; RITSCHL, *Priscae latinitatis monumenta epigraphica*, 49.

<sup>23</sup> CIL I<sup>2</sup> 581; X 104; DIEHL, *Alt.* 262; ERNOUT 126; RUBIO-BEJARANO, 24; cfr. LIV. 39, 8-19; CIC. *de leg.* 2, 15, 47.





VINDOBONA - *Kunsthistorisches Museum*: Aenea Tabula Senatus Consultus de Bacchanalibus ex agro Teurano in Calabria, nunc Vindobonae in Artis et Historiae Museo servata.

Dri. Rudolfo Noll humanissimo Vindobonensis Musei custodi gratias ex animo referimus, qui nobis hanc pictam tabulam mittendam curavit,

quam eorum comoine[m h]abuise  
ve[l]let, neve magistratum, / neve  
pro magistratu[d] neque virum [ne-  
que mul]ierem quisquam fecise ve-  
let, / neve post hac inter sed  
conioura[se ne]ve comvovise neve  
conspondise, / neve conpromesise

quam eorum communem habuisse  
vellet neve magistratum, neve pro  
magistratu neque virum neque mu-  
lierem quisquam fecisse vellet, ne-  
ve posthac inter se coniurasse neve  
convovisse neve conspondisse neve  
compromisise vellet, neve quisquam



velet, neve quisquam fidem inter sed dedise velet. // sacra in oquol-  
tod ne quisquam fecise velet, neve in poplicod neve in / preivatod ne-  
ve extrad urbem sacra quisquam fecise velet, nisei / pr. urbanum adieset, isque de senatuos sententiad, dum ne minus / senatoribus C adessent quom ea res cosoleretur, iousiset. censuere. /

Homines plous V oinvorsei virei atque mulieres sacra ne quisquam // fecise velet, neve inter ibei virei plous duobus, mulieribus plous tribus / arfuisse velent, nisei de pr. urbani senatuosque sententiad, utei suprad / scriptum est».

Haice utei in conventionid exdeicatis ne minus trinum / noundinum, senatuosque sententiam utei scientes esetis, eorum / sententia ita fuit: sei ques esent, quei arvorsum ead fecisent quam suprad // scriptum est, eeis rem capitalem faciendam censuere; atque utei / hoc in tabulam ahenam inceideretis, ita senatus ai quom censuit, / uteique eam figier ioubeatis, ubei facilumed gnoscier potisit; atque / utei ea Bacanalia, sei qua sunt, extrad quam sei quid ibei sacri est, / ita utei suprad scriptum est, in diebus X quibus vobeis tabelai datai // erunt, faciatis utei dimota sient. In agro Teurano.

24. *Res gestae Divi Augusti*, quibus ille orbem terrarum imperio Populi Romani subiecit et impensae, quas in rem publicam Populumque Romanum ipse fecerat, incisae in duabus aeneis tabulis, quae ante Mausoleum statuerentur (Suet., *Aug.* 101, 4). En tibi fragmentum quoddam <sup>24</sup>:

*fidem inter se dedisse vellet. Sacra in occulto ne quisquam fecisse vellet, neve in publico neve in privato, neve extra urbem sacra quisquam fecisse vellet, nisi pr(aetorem) urbanum adiisset, isque de senatus sententia, dum ne minus senatoribus C adessent cum ea res consuleretur, iussisset. Censuere.*


*Homines plus V universi, viri atque mulieres, sacra ne quisquam fecisse vellet, neve interibi viri plus duobus, mulieribus plus tribus adfuisse vellent, nisi de pr(aetoris) urbani senatusque sententia, uti supra scriptum est».*

*Haec uti in contione edicatis ne minus trinum nundinum, senatusque sententiam uti scientes essetis, eorum sententia ita fuit: siqui essent qui adversum ea fecissent, quam supra scriptum est, eis rem capitalem faciendam censuere. Atque uti hoc in tabulam ahenam incideretis, ita senatus aequum censuit, utique eam figi iubeatis, ubi facillime nosci possit; atque uti ea Bacchanalia, siqua sunt, extra quam siquid ibi sacri est, in diebus X quibus vobis tabellae datae erunt faciatis uti dimota sint. In agro Teurano.*

<sup>24</sup> ANTONIO MAGARIÑOS, *Res gestae divi Augusti*, Madrid, 1951; Suple-

13 [B]ella terra et mari c[uius] ex]ternaque tóto orbe terrarum s[aepe] gessi  
 14 uictorque omnibus u[eniam] petentib]us cíuib]us perpeci. Exte[rnas]  
 15 gentés, quibus túto [ignosci pot]ui[t, co]nseruáre quam excídere m[alui.]  
 16 Millia cíuium Róma[no]rum [sub] sacrámento meo fuerunt circiter  
 [quingen]-  
 17 ta. Ex quibus dedú[xi] in coloni]ás aut remisi in municipia sua stipen-  
 [dis emeri]-  
 18 tis millia aliquant[o] plura qu]am trecenta, et iis omnibus agrós a[d-  
 signau]i  
 19 aut pecuniam pró p[raem]is mil]itiae dedi. Naues cepi sescen[tas] praeter]  
 20 eás, si quae minóre[s] quam trir]emes fuerunt.

25. *Titulus christianus saeculi V p. Chr. in Gallia inventus* <sup>25</sup>:

HOC TETOLO FECET MVNTANA  
 CONIYS SVA MAVRICIO QVI VI  
 SIT CON ELO ANNYS DODECE  
 ET PORTAVIT ANNOS QVARRANTA  
 TRASIT DIE  VIII KL IYNIAS

Hoc tetolo fecet Muntana / conius sua Mauricio qui vi / sit con  
 elo annus dodece / et portavit annos quarranta / Trasit die VIII  
 kl iunias.

26. *Distingue tempora.*—Jam ex his inscriptionibus allatis facile intelleges quam varia fuerit diverso tractu temporum orthographia latina. Magni momenti est principia seu fundamenta cujuscumque temporis, si qua certa sint, praestituere ad

mentos de «Estudios Clásicos»; cfr. PAULY-WISSOWA, RE s. v. *Monumentum Ancyranum*, col. 217 ss.

<sup>25</sup> Cfr. EDM. LE BLANT, *Nouveau Recueil des Inscriptions chrétiennes de la Gaule*, n. 66, p. 90; E. DIEHL, II 2917: Jesus Christus AΩ: Hunc titulum fecit Montana coniux sua Mauricio qui vixit cum illa annos duodecim et portavit annos quadraginta. Transiit die octavo Kalendas Iunias.

monumentorum textuumque interpretationem, quod triplici partitione proponimus:

- A.—Orthographia latina archaica
- B.—Orthographia latina classica
- C.—Orthographia latina postclassica

A.—ORTHOGRAPHIA LATINA ARCHAICA

1) *Ejus difficultas*

27. *Notio.*—Orthographiam latinam archaicam eam dicimus quae ab U. C. ad Ennium usque decurrit, h. e. ab anno 754 ad 180 a. Chr. n. Eam recte definire difficillimum sane est cum

- a) monumenta exstant pauca
- b) eaque obscura
- c) immo et contraria.

28. a) *Monumenta exstant pauca.*

Nam si excipiuntur *Carmen Fratrum Arvalium*<sup>26</sup> (754-715), *Lex Numae Pompilii* (714-671), *Lex Servi Tullii* (578-534), *Carmen Saliorum* (saec. VI), *Inscriptio Duelliana Columnae Rostratae* (260), *Epistula Consulium ad Teuranos de Bacchanalibus* (an. 186), Livii Andronici reliquiae (an. 240), aliaeque nonnullae inscriptiones quae inveniuntur in CIL, monumenta linguae latinae archaica, praesertim priorum temporum, pauca remanent.

29. b) *Eaque obscura.*

Adeo ut de Carmine Saliorum dixerit Quintilianus: *Saliorum carmina vix sacerdotibus suis intellecta. Sed illa mutari vetat religio; et consecratis utendum est*<sup>27</sup>.

In Carmine Fratrum Arvalium interpretando quot sunt capita tot sententiae. Praetereo quattuor transcriptiones inter se diversas ab Eggerio collectas in opere cui titulus *Latini ser-*

<sup>26</sup> ED. NORDEN, *Aus altrömischen Priesterbüchern*, Lund 1939, p. 107; G. B. FIGHI: *Aevum* 15 (1941) 155 ss.; DIEHL, *Alt.* 138; ERNOUT 146; RUBIO-BEJARANO 5; GARCIA CALVO: *Emerita* 25 (1957), 387-448.

<sup>27</sup> QUINT., 1, 6, 40.

*monis vetustioris reliquiae selectae* (Parisiis, 1843). Juvat tamen hic proferre quo modo laudatum carmen Mommsen, Edon, Breal, Havet, noster García Calvo, egregii quidem interpretes legerint:

1) MOMMSEN <sup>28</sup>

*Enos, Lases, iuvate / Neve luae rue, Marma sins incurrere in pleores / Satur fu, fere Mars Limen sali. Sta. Berber / Semunis, alternei advocapit conctos; / Enos, Marmor iuvato / Triumpe.*

NOTULAE: enos=nos sicut ἐμέ = μέ; Lases=Lares; luae=lue=luem; rue=ruem (*ruinam*); pleores=plerosque; Marma=Mamers=Mars; sins=sinas; fu=fue sicut es=esto; Semunis=semi+hemonēs (=homines).

2) GEORGIUS EDON <sup>29</sup>

*E! nos, Lases juvate / Hi mi lua fave; Marmar, serp, incure sel Inde foris / Satur face. Remars: limen sali / Manis paternei advocate / E! nos Marmars juvato / Triumpe.*

INTERPRETATIO: O! nos, Lares, juvate / His mihi luam fabis; umbra, serpe incure, iis! Inde foras / Satur fuge, Lemur: limen sali! / (*stabit aversim*) / Manes paterni avolate / (*cuncti*) / O! nos, Umbra, juvato / Triumphe!

3) M. BREAL <sup>30</sup>

*Enom, Lases, Iuvate / Neve lue arve, marmar, sers incurrere inpleores... / Sata tutere, mars. Climens sati sta, berber / Semunis alternei advocapit conctos / Enom, marmor, iuvato / Triumpe.*

4) L. HAVET <sup>31</sup>

*E! nos, Lases, juvate! / Ne velueris, Marmars incurrere in pleoris / Satur fu, fere Marmars, neve insili, sta... / Semunis alternai advocapit conctos / E! nos, Marmars juvato / Triumpe.*

<sup>28</sup> CIL I<sup>2</sup> 2; VI 2 104.

<sup>29</sup> EDON, *Ecrit.*, Paris, 1882.

<sup>30</sup> BREAL, *Mémoires de la Société de linguistique de Paris*, IV, p. 373.

<sup>31</sup> HAVET, *De saturnio Latinorum versu*, Paris 1880.

5) A. GARCIA CALVO <sup>32</sup>

1	E! NOS LASES	IO-VATE
2	NE VEL-VE	RVE MARMAR
3	SIN SIN CVRRER,	IMPLE ORIS
4	SA-TVR FV	FER EMARS
5	LI-MEN SALI	STA BERBER
6	SE-MV-NI(S)	SAL (S)TERNE
7	I, AD-VOCA	PET CONCTOS
8	E! NOS MARMIR	IO-VATO

30. c) *Immo et contraria.*

Si antiquas inscriptiones perlustramus, haud sine magna disquisitione varias formas in verbis scribendis inveniemus:

1) In elogio Scipionum (DIEHL 540-541) legimus simul *cosol / consol, cesor / censor, Luciom / optomo* (acc. sing.).

2) In inscriptione quadam anni 45 a. Chr. (CIL I 593) simul legi potest *foidere / foedare, conscriptum / conscreiptum*.

3) In *Monumento Ancyrano* anno XIV p. Chr. insculpto invenies simul *manubiis* (III 8) et *colonis* (IV 27)=ablat. plur.

4) In ipsis auctoribus traditio manu scripta est longe diversa. Clarus vir R. SABBADINI loquitur de orthographia vergiliana incohaerenti disparique <sup>33</sup>. P. WUILLEUMIER miratur cur in iisdem Ciceronis codd. inveniatur ex. gr. *adolescens / adulescens / adoliscens / aduliscens, immortalitas / inmortalitas* <sup>34</sup>. Immo recens ULRICUS KNOCHE in Juvenalis editione critica, jam in ipso titulo indistincte J et V adhibet: *D. Iunius Juvenalis Saturae* <sup>35</sup>.

31. *Usus depravati.*—Hae vero mutationes, quacumque ex causa proveniant, sive ex libertate auctorum, aut ex incuria temporum, sive ex scribarum defatigatione, ignorantia, fastidio, prodicione, ansam praebuerunt libertati et erroribus in re orthographica. Quod tamen nihil obstat quominus usus quidam

<sup>32</sup> A. GARCIA CALVO: *Emerita* 25 (1957) 387-448: I. Carácter del carmen arval (289-391). II. Naturaleza del sacerdocio de los arvaes (391-406). III. Ritmo del carmen arval (406-413). IV. Interpretación del carmen (413-448).

<sup>33</sup> R. SABBADINI, *RFIC* 1903, 19-45.

<sup>34</sup> WUILLEUMIER, *Cic. Caton l'ancien*, Paris (Budé), 1955, p. 118.

<sup>35</sup> U. KNOCHE, *D. I. Juvenalis Saturae*, München, Hüber Verlag, 1950.



vel depravati vel praeteriti jure damnentur, uti cum ex. gr. Quintilianus improbat *uortices*, *uorsus* pro *uertices*, *uersus* <sup>36</sup>. Neque hoc tantum, sed etiam principia quaedam orthographica seu leges statui possunt quibus hominum usus et consuetudo suo quoque tempore aptari et regi debeat.

## 2) PRINCIPIA SEU LEGES ORTHOGRAPHIAE ARCHAICAE

32. *Variae leges*.—Haec principia seu leges variae sunt et pertinent vel ad vocales vel ad diphthongos vel ad consonas. Earum legum praecipua innuamus.

### a) *Ad vocales*

33. *Nondum geminari coeptae sunt* vocales natura longae, ut postea Accii tempore accidisse constat. Non desunt tamen exempla geminatarum vocalium <sup>37</sup>:

*aaustutieis* 122, *Maanium* 149, *leege* 208, *paaco* 258, *ree* 584, *seese* 268, 18, 25; *Feelici* 302.

Quandam difficultatem praebent in orthographia archaica vocales quia diverse usurpantur quam aetate classicorum scriptorum. Atque re vera E pro I, I pro E, O pro U, O pro I, O pro E, U pro I saepe invenimus. Afferamus exempla:

34. *E pro i saepe usurpatur.*

1) Notari oportet *e* pro *i* in nom., gen., dat., sing. tertiae declinationis; sed praeterea hic usus tunc temporis alibi erat frequens.

ORTH. ARCHAICA: *aidiles* 540, *litare* 64; *Apolones* 11, [*C*]ereres 30, *Iunonenes pocolom* 104, *Salutes pocolom* 192; *patre* 9, *Apoline* 16, 18, 19; *Forte* 72, *Hercole* 79, *plebe* 81, *Hercule* 85.

ORTH. CLASSICA: *aedilis*, *militaris*; *Apollinis*, *Cereris*, *Iunonis poculum*, *Salutis poculum*; *patri*, *Apollini*, *Forti Herculi*, *plebi*.

<sup>36</sup> QUINT. 1, 7, 25: *Quid dicam VORTICES et VORSVS ceteraque in eundem modum, quae primus Scipio Africanus in E litteram secundam vertisse dicitur?*

<sup>37</sup> Numeri singulis vocibus appositi respondent numeris quibus apud DIEHL *Alt.* unaquaque inscriptio signatur.

## 2) Praeterea in aliis adjunctis, ex. gratia:

ORTH. ARCHAICA: enque, hec, meretor, navebos, tempestatebos, ploirume, aidiles, exemet, fuet, dedet, ornavet, cepet, sei queis.

ORTH. CLASSICA: *inque, hic, merito, navibus, tempestatibus, plurimi, aedilis, eximit, fuit, dedit, ornavit, cepit, si quis.*

35. *I pro E*, praesertim in syllaba finali acusativi [et nominativi] pluralis tertiae quam vocant declinationis, et ablativi singularis.

ORTH. ARCHAICA: Cartaciniensis omnis 271, semunis 138, turris 371, luci 268, marmoris 646, nomini 799, ni 801, 4, 26, 32, 36, 44, tris partes <sup>38</sup>.

ORTH. CLASSICA: *Carthaginienses omnes, semunes, turres, luce, marmore, nomine, ne, tres partes.*

36. *O pro U*, saepissime in syllaba finali et saepe ante litteram L.

ORTH. ARCHAICA: Hercole 79, consol / consol (*saepe*), aidicolam 51, consolto 456, moltai 256, pocolom (*saepe*), popolum 268 14, semol 88, singulos 453 28, tabolam 262 27, tolit 647 16, Tuscolana 112, Polc(er) 459, duenos 720, duonoro 541, ol[or]om 271, praefectos 227.

ORTH. CLASSICA: *Herculi, consul, aediculam, consulto multae, poculum, populum, simul, singulos, tabulam, tulit, Tusculana, Pulcher, bonus, bonorum, illorum, praefectus.*

37. *O pro I* interdum, ex. gratia: *olorom* 271 pro *illorum*.

38. *O pro E*, praesertim post V litteram: Ex. gr.:

ORTH. ARCHAICA: Vorsus, vortes, vorro, voster, voto <sup>39</sup>.

ORTH. CLASSICA: *Versus, vertex, verro, vester, veto.*

39. *U pro I*, praesertim ante consonas nasales et labiales (m, n; b, p; f).

ORTH. ARCHAICA: lubens, lubetes (*saepe*) 6, 8, 10, 84, 88, capitalem 262 25, [de]cuma 88, mancupi 429, pontufici 311, septumo 690, testimonium 268 3, victumas 801 14, Septumia 554.

ORTH. CLASSICA: *libens, libentes, capitalem, decima, mancipii, pontifici, septimo, testimonium, victimas, Septimia* <sup>40</sup>.

<sup>38</sup> LAURAND, *Remarques* 1939, pp. 3-14.

<sup>39</sup> NIEDERMANN, n. 29, pp. 56-58.

<sup>40</sup> NIEDERMANN, n. 15, pp. 24-25. QUINT. 1, 4, 8..., *medius est quidem U et I litterae sonus; non enim OPTUMUS dicimus aut OPTIMUS. Id. 1, 7, 21..., iam OPTIMUS, MAXIMUS ut mediam I litteram quae veteribus*

De hac re Quintilianus aperte loquitur (1, 4, 8): *medius est* —inquit— *quidam V et I litterae sonus; non enim sic optimum dicimus vel optimum.* Et paulo post (1, 7, 21): *jam optimus maximus ut mediam I litteram, quae veteribus V fuerat, acciperent, Gai primum Caesaris in scriptione traditur factum.*

b) *Ad diphthongos*

40. *AI pro AE saepe saepius usque ad tertium a. Chr. saeculum.* Magnam invenies hujus rei exemplorum copiam. Tamen usus *ai* pro *ae*, teste Quintiliano (1, 7, 18), usque ad classicorum scriptorum tempora pervenit: *Ac syllabam* —inquit— *cujus secundam nunc E litteram ponimus, varie per A et I efferebatur, quidam semper ut Graeci, quidam singulariter tantum, cum in dativum vel genetivum casum incidissent, unde «pictai vestis» et «aquai» Vergilius amantissimus vetustatis carminibus inseruit:* <sup>41</sup> En tibi exempla:

ORTH. ARCHAICA: *Aid[e]* 90, *aidicolam* 51, *aidiles* 11, *tabelai datai erunt* 262 30, *praitor* 45, *quaistores* 228, *Aimilius* 191, *Caicilius* 412 cet.

ORTH. CLASSICA: *Aedi, aediculam, aediles, tabellae datae erunt, praetor, quaestores, Aemilius, Caecilius.*

41. *EI pro I.* Antiquorum mos fuit *EI* pro *I* longo uti, praesertim in locativo sing., in dat. et abl. plur. primae declinationis; in nom., dat., abl. pluralibus secundae declinationis; in dat. sing. tertiae. Etiam in singulari perfecti indicativi cet. Exempla sunt plurima:

ORTH. ARCHAICA: *quei, tibeil, heice, uobeis, neive seiue, (ubique), heic* 88, *eidem* 97, *sei* 257, *deico* 581, *feida* 584, *leiber* 24, *leibertas* 128, *poseit* 589, *ueicus* 260 9, 15.

ORTH. CLASSIQUE: *qui, tibi, hicce, vobis, nive, sive, hic, idem, si, dico, fida, liber, libertas, possit, vicus* <sup>42</sup>.

---

*U fuerat acciperent, Gai primum Caesaris inscriptione traditur factum.*

<sup>41</sup> *Aen.* 9, 26; 7, 464. Cfr. *Aen.* 3, 354: *Aulai medio libabant pocula Bacchi.*

<sup>42</sup> AGAIN, *Lucilius on EI and I*: *Am. Journal of Phil.* 34 (1913) 315-321; R. G. KENT, *Zu den orthographischen Regeln des Lucilius*; *Glotta*, Göttingen 4 (1913) 299-302.

5.—HELMANTICA.

42. *OI pro U*, non raro in plurimis verbis. Ex. gr.:

ORTH. ARCHAICA: comoine[m], coi-  
rauerere, loidos, moiros, ploirume,  
oino, oinuorsei, oitile (cfr. DIEHL,  
*Atlat.* pp. 97-98).

ORTH. CLASSICA: *communem, cu-  
rauerere, ludus, murus, plurimi,  
unum, uniuersi, utili.*

43. *OI pro OE* adhibetur simili ratione ac *ai pro ae*; sic ex.  
gr.: *foideratei* 262, 2 pro *foederati*.

44. *OU pro U*. Saepissime invenitur haec scribendi ratio  
prima aetate linguae latinae. Satis est nonnulla exempla pro-  
ferre:

ORTH. ARCHAICA: courauerunt 251,  
abdoucit 539, indoucere 264, iuo-  
si 262, 9, 18, louco 48, plouruma 579,  
Polouces 759, ioudex 226, noundi-  
num 262 22.

ORTH. CLASSICA: *curauerunt, ab-  
ducit, inducere, iussi, luco, pluri-  
ma, Pollucis, iudex, nundinum* <sup>43</sup>.

### c) *Ad consonas*

45. *De litterarum geminatione, quae dicitur*.—Nulla in or-  
thographia archaica geminabatur littera, ut modo in «iousis-  
set, coniuourasse» vidimus. Hanc vero consuetudinem Ennius  
(239-155) mutavisse fertur, cum geminatas litteras induxit <sup>44</sup>.  
Inter orthographiam archaicam et classicam hoc est notissimum  
discrimen: consonas in archaica numquam iteratas videbis; ite-  
ratas invenimus apud classicos. Ex jam allatis exemplis collige  
testimonia:

ORTH. ARCHAICA: Apoline 16, ol-  
[or]om 271, tabelai datai 262 30,  
poseit 589, iousi 262 9, 18, Polouces  
759, mitat 720.

ORTH. CLASSICA: *Apollini, illo-  
rum, tabellae datae, possit, iussit,  
Pollucis, mittat.*

46. *G littera ignota romanis ante saeculum tertium a. Chr.*  
*G* septima latinorum littera —ait Forcellini <sup>45</sup>— una ex mutis  
cognata est litterae C, a qua originem ducit. Nova consonans  
dicitur a Diomed. (2 p. 417 *Putsch.*), quia multo tempore latini

<sup>43</sup> ERNOUT-MEILLET, *Dict. etym. de la Langue Latine*, Paris 1951<sup>3</sup>, s. v.  
*nouem*.

<sup>44</sup> P. FEST. 374, 5.

<sup>45</sup> FORCELLINI-PERIN, *Lexicon totius latinitatis*, Patavii 1940: *ad litt. G*.

ea caruerunt, C litteram ejus loco adhibentes, sed duplici potestate; scilicet in quibusdam vocibus, ut C nunc habet, in aliis ut G. Tandem post quingentos fere annos ab U. C. Spurius quidam Carvilius, ut est apud Plutarch. (*De Quaest. Romanis* n. 54), parvo apice inferius litterae C adjecto in iis vocibus, quae G sonum habebant, eam in Latinum invexit. Remansit tamen in quibusdam vocibus, ut in *Cajus*, *Cnaeus*, licet per G efferantur.

ORTH. ARCAICA: atica 750, coiuci 701, eco 740, recionibus 258, secete 408, uirco 720, Philarcuri 471.

ORTH. CLASSICA: *attingas*, *coniugi*, *ego*, *regionibus*, *segete*, *uirgo*, *Philarguri*.

47. *Du pro B*, ut in notissimis *duenorum* et *saliorum* inscriptionibus: *duenos* 720, *dounoro* 541 pro graphiis *bonus*, *bonorum*.

Quod ad *bellum*, remanet etiam in aetate classica duplex forma; et *duellum* et *bellum*, sensu tamen diverso.

48. *Remanet S* in vocibus in quibus vi «rhotacismi» postea fit *R*. Varronis, Ciceronis, Quintiliani, ceterorum, de hac re testimonia concordant. «In multis verbis —inquit Varro (*L. Lat.* 7, 26)— in quibus antiqui dicebant *S* postea dicunt *R*... *foedusum* / *foederum*, *plusima* / *plurima*, *meliose* / *melio*, *asenam* / *arenam*». Quintilianus vero (1, 4, 13): nam ut *Valesii*. *Fusii* in *Valerios*, *Furiosque* venerunt, ita... etiam... *lases*, *asa* (pro *lares*, *ara*) fuerunt. Cicero (*epist.* 9, 21, 1) docet L. *Papirium Crassum* anno a. Chr. n. 339 dictatorem, primum *Papirium* esse vocari desitum <sup>46</sup>. *Exempla*:

ORTH. ARCAICA: *iouesat* 720, *uiolasit* 256, *Lases* 138, *Numaioi* 720, *Tusanis* 572.

ORTH. CLASSICA: *iurat*, *uiolarit*, *Lares*, *Numerio*, *Turanis*.

49. *N quandoque omittitur*, praesertim ante *S*. Sint exempla:

ORTH. ARCHAICA: *cosol* 50 (*et saepe*), *libes* 182, *cosoleretur* 262 6, 9, 18, *pro cos* 310, *cofeci* 780, *couentionid* 262 22, *coiugi* 701, *Quictilis* 561, *dederø*, *dono dedrot* 117.

ORTH. CLASSICA: *consul*, *libens*, *consoleretur*, *pro cons(ule)*, *confeci*, *conuentione*, *coniugi*, *Quinctilis*, *dederunt*, *donum dederunt*.

<sup>46</sup> NIEDERMANN, n. 49, pp. 94-95.



50. *M litteram finalem* plerumque praeterire solebant antiqui. Neque desunt hujus rei testimonia in monumentis epigraphicis et in litteris seu scriptis grammaticorum. Si enim antiquas inscriptiones percurramus facile inveniemus scripturas *oino, duonoro, uiro, Scipione, urbe* (CIL I<sup>2</sup> 48-49) pro *unum, bonorum, uirum, Scipionem, urbem*. Cum vero *M* finalis scribi coepta est, parum aut nihil sonabat, praesertim ante vocalem. Audi Quintilianum (9, 4, 10) dicentem: *eadem littera (M) quoties ultima est et vocalem verbi sequentis ita contingit, ut in eam transire possit, etiam si scribitur* [agitur de aetate imperiali], *tamen parum exprimitur, ut «mult(um) ille» et «quant(um) erat», adeo ut paene novae litterae sonum reddat* <sup>47</sup>.

Quod saepe quoque accidit cum agitur de *S* finali, ideoque invenimus ex. gr.: *Cornelio* (CIL I<sup>2</sup> 8), *Fourio* (CIL I<sup>2</sup> 48-49) pro *Cornelius, Furius* <sup>48</sup>.

51. *D finalis* apparet hac aetate praesertim in abl. sing. primae, secundae, tertiae declinationis. Exempla:

ORTH. ARCHAICA: *preidad* 64, *rected* 175, *sententiad* 262 8, *aruorsum ead* 262 24, *meritod* 5, *filiod* 44, *meretod* 51, *marid* 271, *opid.* 122.

ORTH. CLASSICA: *praeda, recte, sententia, adversum ea, merito, filio, merito, mari ope.*

52. *De ph, th, ch litteris.*—Quod ad *ph, th, ch* refert, habes Quintiliani et Ciceronis testimonia. Ait enim Tullius (Or. 48, 160): *Ego ipse, cum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam, nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar, sic, ut «pulcros, Cetegos, triumphos, Kartaginem» dicerem; aliquando, idque sero, convicio aurium cum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Quintilianus (1, 5, 30) vero hoc idem plane confitetur: *diu servatum est ne consonantibus aspiraretur ut in «Graccis» et in «triumpis». Erupit brevi tempore nimius usus, ut «choronae», «chenturiones», «praechones» adhuc quibusdam in scriptionibus ma-*

<sup>47</sup> E. DIEHL, *De M finali epigraphica*. Lipsiae J. B. Teubnerii 1899; NIEDERMANN, n. 54, pp. 101-102.

<sup>48</sup> NIEDERMANN, n. 50, p. 96.

*neant, qua de re Catulli nobile epigramma est* <sup>49</sup>. Tamen Nigidius Figulus meminit apud Gelium (*Noctes Atticae*, 13, 6), *rusticum fieri sermonem, si aspices perperam*. Unde Probus (KEIL, GL IV, 10, 19) haec habet: *nomina post C litteram habentia H peregrina sunt... exceptis tribus: «lurcho», «pulcher», «Orchus», quae latina sunt* <sup>50</sup>.

Atque revera in antiquis inscriptionibus P, T, C consonas invenimus sine aspiratione usitatas in verbis graecis a romanis usurpatis, ex. gr.: Pilodamus (gr. Φιλώδημος) CIL I<sup>2</sup> 1255, theatrum (gr. θέατρον) CIL I<sup>2</sup> 685, Aciles (gr. Ἀχιλλεύς) CIL I<sup>2</sup> 564, cet. (Cfr. NIEDERMANN, *Phonet.* § 42, pp. 84-86).

53. *De graphia XS.*—Sonum «x» saepissime exprimitur duplici signo «xs». Exempla:

ORTH. ARCHAICA: COXSA 25, BUXSUS 37, proxsimum 59, interrexs 62, maxsume 88, faxseis 92 cet.

ORTH. CLASSICA: *Coxa, Buxus, proximum, interrex, maxime, faxis, cet* <sup>51</sup>.

## B.—ORTHOGRAPHIA LATINA CLASSICA

54. *Notio.*—Ea est quae ab Ennio usque ad Commodum vim civitatis obtinuit, ab anno videlicet 180 ante Chr. n. usque ad annum 180 post Chr. n. Formae orthographiae archaicae plus minusve perseverant, sed novae formae inducuntur. Orthographia latina classica firmior est quam archaica, congruentior et sibi magis constans, ideoque hac aetate stabiliora principia seu leges possumus proponere.

<sup>49</sup> CATULUS, *Carmen LXXXIV*:

*chommoda* dicebat si quando commoda vellet  
dicere et insidias Arrius *hinsidias*;  
et tum mirifice sperabat se esse locutum  
cum, quantum poterat, dixerat *hinsidias*.

<sup>50</sup> B. RÖTTER, *Die Aussprache*, pp. 54-58; NIEDERMANN, n. 42, pp. 84-86.

<sup>51</sup> GONZ. DE LA CALLE, *Varia*, p. 112: «Se representó el sonido x en los antiguos monumentos epigráficos mediante el grupo xs [EXTRAD CIL I 196] y no se abandonó esa práctica ni en el siglo VII a. U. c. ni después. Así se continuó escribiendo en la época de Augusto y aún después».

1) *Principia seu leges*

55. *Geminatio consonantium*.—Ennio poetae (239-169 ante Chr.) tribuitur latina litterarum geminatio (cfr. n. 45). Nulla tunc geminabatur littera in scribendo, quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur <sup>52</sup>.

EXEMPLA: *possiderent, mannicelo, summum, nummos, anni.*

Haec vero geminatio paulatim ingreditur, ita ut in *sententia Q. M. Minuciorum inter Genuates et Viturios* (CIL I, 199), unde exempla prius allata deprompsimus, haec archaica exempla simul inveniamus: *posidebunt, comvalem, manicelo, in anos singulos, sufragium, iouserunt.*

Ad rem, quae de voce *iussi* scripsit Quintilianus (1, 7, 2): «*Paulum superiores (Cicerone et Vergilio) illud, quod nos gemina «s» dicimus, iussi, una dixerunt.*»

56. *Notatio longae vocalis exprimitur:*

1) *Geminatione vocalium*.—Accius (170-86 ante Chr. n.) primus fuit qui, geminatis vocalibus, scribi voluit syllabas natura longas <sup>53</sup>. Unde *paastores, feelix, iuus, luuce, arbitratuu* pro *pastores, felix, jus, luce, arbitratu*. Haec vero consuetudo non diu viguit.

2) *Apice*.—Augusti temporibus syllabae natura longae «apice» signabantur, ideoque hoc pacto scribebantur: *máter, orá-tione, pecuáni, debeó, élocuta, pedés*. Tamen longis syllabis omnibus apponere apicem ineptissimum est —ait Quintilianus (1, 7, 2)— *quia plurimae natura ipsa verbi, quod scribitur, patent; sed interim necessarium, cum eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta est, facit: ut «malus», utrum «arborem» significet, an «hominem non bonum», apice distinguitur.*

3) *Diphthongo*.—Tamen *u* natura longum diphthongo *ou* exprimebant, sicut aetate archaica romani, ex. gr. *couraveront*; *i* vero longum sive diphthongo *ei* sive ope *I* longius scriptum malebant; sed a saeculo II post Chr. sine discrimine pro quo-

<sup>52</sup> Vide SEELMANN, *Die Aussprache des Lateins*, Heilbronn 1885, p. 118

<sup>53</sup> Cfr. SCHULZE, *Zur Geschichte lateinischer Eigennamen*, Berlin 1933, 298.

cumque *i*, sive longo sive brevi, usurpari coeptum est, ex. gr., *veiginti, prImos homInes*.

4) *Lucilii consilium*.—Alii, in quibus Lucilius (180-103), varie scriptitaverunt: siquidem, in iis quae producerentur, alia per *I* longam, alia per *e + i = ei* notaverunt, velut discrimen quoddam indicantes; ut cum diceremus *viri*, si essent *plures per e + i scriberemus; si vero esset unius viri, per i notaremus*. Ita Velius Longus <sup>54</sup>.

#### 57. *Novae consonae apparent.*

1) Atque in primis consona *G*, distincta a *C*, usitari coepta est, uti prius jam (n. 46) diximus; unde *virgo, legiones, magistratus* cet., pro *virco, leciones*, etc.

2) *Ph, Th, Ch*, consonantes aspiratas invenimus primum in orthographia classica; nam prisci non nisi in vocali utebantur aspiratione, classici vero etiam in consonantibus cum de verbis proprie graecis agebatur aut barbaris, ex. gr.: *elephantus, philosophia, triumphus, Carthago, theatrum, thesaurus, co(h)lea* [caracol], *schola, machina*, etc.

At brevi nimius usus erupit, ita ut *choronae, chenturiones, praechones*, cet., frequentissime apparerent in quibusdam scriptionibus, ut jam antea (n. 52) testimoniis confirmavi. Invasit enim vitium seu studium vanae ostentationis litterarum graecarum, quod fere Scipionum tempore, hoc est, ineunte altero ante Chr. n. saeculo contigit.

3) Littera *Z* origine graeca est et graecis verbis tantum aptata, ut constat ex Quint. (12, 10, 28); idem dicendum de *Y*, quae duae litterae, *Y* vocalis et *Z* consonans, jucundissimae sunt et suavissimae, ut in *zephyris* et *zophoris*; quae si latinis

<sup>54</sup> KEIL GL VII 56; C. CICHORIUS, *Untersuchungen zu Lucilius*, Berlin 1908; SOMMER: *Hermes* 44 (1909) 70 ss.; cfr. notulam 42. Adde verba clmi. GONZALEZ DE LA CALLE, *Varia*, pp. 138-139: «Lucilio trató de distinguir gráficamente el nominativo plural VIRI del genitivo singular VIRI, escribiendo aquél VIREI y éste VIRI... Pero la distinción luciniana en *i tenuis* e *i pinguis* apenas trasciende de la época de Augusto. En cambio la representación de *i larga* mediante *ei* se ofrece en las inscripciones desde 604 a. U. c. hasta fines del siglo VIII a. U. c. En el *Monum. Ancyranum* leemos sólo dativos del plural en *eis*». Cfr. NIEDERMANN, n. 24, p. 43.

litteris scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient. Hae litterae sero in linguam latinam pervenerunt, unde fit ut in fine litterarum locum obtineant.

58. *De M, S, D, consonis finalibus.*

1) *M* et *S* consonae finales quae facile antiquorum incuria praetermitti solebant, nunc aetate classica saepe saepius apparent distincte expressae. Cfr. ex. gr. Senatus Consultum de Bacchanalibus: *eorum, Romam, pr. urbanum, uirum, in tabulam ahenam*<sup>55</sup>.

2) Sed *D* littera quae in fine verborum, praesertim in abl. casu frequens fuerat, anno 180 ante Chr. n. adhuc usurpabatur. In Senatus Consulto de Bacch. invenimus *D* litteram finalem expressam: *poplicod, preiuatod, sententiad, suprad scriptum, aruorsum ead, exstrad quam*; at postea paulatim decidit, uti videre licet, ex. gr., in Monumento Ancyrano: *Bella terra et mari... toto in orbe terrarum.*

59. *De «rhotacismo».*

In mutis verbis, inquit Varro (*ling.* 7, 26), in quibus antiqui dicebant *s*, postea dicunt *r*... *foedesum / foederum*. Quod fit cum agitur de verbis latinis et de *s* natura simplici inter vocales sita<sup>56</sup>. Haec litterarum commutatio evenit circa annum 339 a. Chr. n. Teste enim Cicerone (*epist.* 9, 21, 2) *tunc «Papisii» dicebamini. Post hunc XIII fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primum «Papisius» est vocari desitus. Is dictator cum L. Papirio Cursori, magistro equitum, factus est, annis post Roman conditam CCCCXV.*

60. *Variationes orthographicae.*

Interdum orthographia latina mutatur etiam figuris seu licentiis grammaticorum seu loquentium, ita ex. gr., METATHESI, cum videlicet litterae mutant locum, uti *pristinum* pro

<sup>55</sup> SOLTZ-DEBRUNNER, *Geschichte der lateinischen Sprache*, Berlin W. de Gruyter 1953, n. 113, pp. 71-72.

<sup>56</sup> NIEDERMANN, n. 49, pp. 94-96; MAROUZEAU, *Introd.* 14-26; GONZ. DE LA CALLE, *Varia*, p. 126.



*pistrinum* (Pl. Persa 420); EPENTHESI, cum videlicet consonae quaedam infiguntur, uti *autumpnus*, *hiemps* pro *autumnus*, *hiems* (Keil GL VII 161); SYNCOPA syllabarum, ut cum dicimus *caldus*, *soldus* pro *calidus*, *solidus*. Quintilianus 1, 6, 19 haec de Augusto scripsit: *...sed Augustus quoque in epistulis ad C. Caesarem scriptis emendat quod is «calidum» dicere quam «caldum» malit, non quia id non sit latinum, sed quia sit otiosum.*

#### 61. De «synthesi».

Simili ratione cordi erat romanis synthesis seu plurium vocalium aut vocum in unam coadunatio. Hoc placuit praesertim Ennio, cui familiaris fuit hic usus in sermone vulgi pervulgatus, unde *sas*, *sis* saepe dicit pro *suas*, *suis*. En tibi exempla:

*Postquam lumina «sis» oculis bonus Ancus reliquit.*

*Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet «sas»* (Ann. 1, 65).

#### 62. De appositione.

Saepe orthographia latina varia est in monumentis epigraphicis aut in manu scriptis et codicibus, quia lege appositionis, non assimilationis regitur. Hoc in verbis compositis evenit cum elementa compositionis non per assimilationem junguntur sed tantum juxtaponuntur. Non desunt exempla assimilationis, sed fortasse appositiones apud classicos auctores nunc saltem in criticis editionibus frequentiores sunt.

EXEMPLA APPPOSITIONIS: adtributionem, conrectae, conmode, immortalium, inmolutum, tamtae, eundem, inrogare, conlegi.

EXEMPLA ASSIMILATIONIS: *attribu-*  
*tionem, correctae, commode, im-*  
*mortalium, immolutum, tantae, eun-*  
*dem, irrogare, collegi.*

63. De erroribus.—Neque oblivioni dare oportet errores, qui frequentes inducuntur incuria vel ignorantia scribarum, quique ansam praebent licentiae ceterorum scriptorum<sup>57</sup>. Ita ex. gr. quondam mos fuit *n* «parasiticum» inducere ante consonam *S* vel *X*, ideoque *formonsus*, *vicensimus*, *coniunx* non raro inveniuntur.

<sup>57</sup> DAIN, *Les Manuscrits*, pp. 37-51; cfr. KEIL GL VII 11-12: Q. Terent. *Scaurus*.

## 2) NOTAE SEU LITTERAE SPECIALES

64. *Claudii innovationes.*—Notissimus fuit in re orthographica Claudius imperator (41-45 p. Chr. n.), qui, testibus Suetonio (*Claud.* 41) et Tacito (*Ann.* 11, 13), notas quasdam seu litteras in latina orthographia induxit. Atque in primis:

∫ = digamma inversum, ad hoc inductum signum proprium litterae *V* consonantis haberent Romani: ∫ ALERIAM (CIL IX 5973, anni 48/49 p. Chr.), AMPLIA∫IT TERMINA∫IT (CIL VI 1231, a. 40/50 p. Chr.)<sup>58</sup>.

Ϸ = antisigma idem ac Ψ graecum seu *ps/bs* latinum: ex. gr., Ϸallimus=*psallimus*.

|- = semidigamma seu signum speciale ad sonum ambiguum inter *I/V* et etiam ad *Y* graecum usurpatum: C|-GNVS (CIL VII 16707, an. 40/48, a. Chr.), G|-BERNATOR.

ʻ = sicilicus, quia in Sicilia inventus, post consonantem geminandam superponebatur, v. gr.: *sel'a*, *bel'um*=*sella*, *bellum*<sup>59</sup>.

' = apex, super vocales natura longas, ut supra diximus (n. 56, 2); ex. gr.: *pástores*. Apex vero dictus quia in apice seu cacumine litterarum apponebatur.

## C.—ORTHOGRAPHIA POSTCLASSICA

65. *Natura et species.*—Orthographia postclassica ea est quae ab altero post Chr. saeculo viguit et sensim sine sensu percrebuit. A classica orthographia differt praesertim varietate atque inconstantia scriptorum; magna enim fuit incuria et licentia scribarum. Ratione fere simili qua lingua latina classica differt a sermone latino vulgari, differt etiam orthographia postclassica ab ea ratione scribendi quae aetate classica viguit. Cum vero orthographia postclassica varia fuerit, varia quoque accipit nomina: dicitur enim romana, barbara, chris-

<sup>58</sup> GONZ. DE LA CALLE, *Varia*, p. 151.

<sup>59</sup> *Sicilicus* —ait Forcellini— *nota est supra litteras consonantes quae ab antiquis geminabantur, vel supra vocalem u, cum eam producere seu per duas vocales ou efferre solebant.*

tiana, vulgaris, plebeja, medii aevi, cet; quae vero nomina non eundem sensum habent, ideoque de unaquaque singillatim sermonem instituere oportebat, sed diutius protaheretur disquisitio nostra; satis ergo sit de vulgari et medii aevi orthographia, quae suam quaeque vim ususque proprios retinent, pauca dicere.

## 1) DOTES ET VITIA

66. a) *Inconstantia*.—Quod primum patet in orthographia tum vulgari tum medii aevi —quod jam supra innuimus— formarum varietas est et inconstantia. Etenim:

1) Vocales (diphthongi praesertim) inconsulte usurpantur:

*e* pro *ae*: *ceruleus, greca, preest, prefectus* <sup>60</sup>

*e* pro *a*: *Ienuarias, feceret*

*i* pro *e*: *parentis, tris, mensis, fecirunt, Ignatius*

*o* pro *au*: *olla, colis, coda, clostra, plostrum.*

*oe* pro *e*: *foemina, Poenates, foelici.*

2) Consonas decidunt aut facile inter se commutantur:

M, S, T in fine vocabuli saepe decidunt <sup>61</sup>.

D et T; B et V; PH et F indistincte usurpantur <sup>62</sup>

B pro V: *cibis, paraberunt, birginus, bixit, botum, botu*

V pro B: *davit, ovitus, provitu, superva*

F pro Ph: *nymfium, triumfator.*

3) Litterae saepissime omittuntur aut permutantur:

Permutationes: *incrispsit, isпам* pro *inscripsit, ipsam.*

Epentheses: *superistitem, michi, instituvit.*

Elisiones: *Todosio, requevit, Febraris.*

Syncopes: *dulcissime, honri, saeclo.*

Apocopes: *vi, eade lege, votu, pro vim, eadem, cet.*

67. *Cur vero tanta varietas*.—Ratio vero cur hac aetate tam varia fuerit et dispar latina orthographia his verbis exprimit Cl. A. Meillet: *Servant en quelque sorte de lingua franca (κοινή) à un grand empire, le latin a tendu à se simplifier,*

<sup>60</sup> Cfr. ERNOUT, *Éléments dialectaux*, pp. 57 ss.; K. VOSSLER, *Einführung ins Vulgärlatein*, München 1954, pp. 78-103.

<sup>61</sup> VAANANEN, p. 136 ss.; STOLZ-DEBRUNNER, o. c., n. 149, p. 95.

<sup>62</sup> NIEDERMANN, n. 48 p. 93-94.

à garder surtout ce qu'il avait de banal... Le latin vulgaire est devenu quelque chose que les hommes les plus variés et les moins cultivés pouvaient manier, un outil commode, bon pour toutes mains <sup>63</sup>.

Quod evenire necesse fuit ex eo quod latina orthographia erat linguae latinae non plane aptata; immo etiam si eidem bene aptata esset, nihilominus vertentibus annis, cum graphiae certae sint et fixae, lingua vero non semper et ubique sibi constet, sed sensim sine sensu evolvatur, opus erat disparilitatem quandam et distinctionem oriri inter orthographiam et linguam. Ad haec optime Horatius (A. P. 69-72):

.....mortalia facta peribunt,  
 nedum sermonum stet honos et gratia vivax.  
 Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque  
 quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,  
 quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.

68. b) *Archaica propensio*.—Sed praeter hanc plebejam condicionem orthographiae vulgaris, alia quoque nota ei tribuenda est: praesumptio quaedam de archaicis formis. Ideoque ne nota vulgaris sermonis afficerentur hujus temporis scriptores ad priscos auctores redire potius quam ad classicos voverunt; Catonem igitur prae Cicerone, Ennium prae Vergilio, Antipatrum prae Sallustio aut Tito Livio maluerunt.

69. *Exempla epigraphica hispana*.—Haec omnia nonnullis exemplis confirmabo. Atque in primis exempla epigraphica latina afferam in Hispania inventa et ab Aemilio HÜBNER edita in CIL II 1869: *Inscriptiones Hispaniae* (1-5132) et in Supplemento vol. II 1892 (5135-6350) <sup>64</sup>.

CIL II 2102b (saec. II, in Baetica inventa): *PROPTER QVAM ROGAMUS PARENTES PIENTISSVMI COLLEGAS SVC // EDENTES DEINCEPSQ.*

<sup>63</sup> A. MEILLET, *Esquisse*, p. 278: «...le latin vulgaire présente une grande quantité d'innovations, les unes réalisées, les autres à l'état de tendances. Et le langue sur laquelle reposent les parlers romans est loin du latin ancien».

<sup>64</sup> Cfr. J. VIVES, *Inscripciones cristianas de la España visigoda*, Barcelona, 1941-42. Id., *Características hispanas de las inscripciones visigodas*: «Arbor» 2 (1944) 185 ss. S. MARINE BIGORRA, *Inscripciones hispanas en verso*, Barcelona, 1952.

*SVCESSORES SIC NEQVIS VESTRVM TALEM DOLOREM EXPERISCATUR VT HUIIVS MANIB. LVCERNA QVOTIDIANA EX RATIONE PUBLIK. VESTRA PONI...*

CIL II 2997 (Caesaraugustae inventa): *VALERIO LIBERO VALERIA LEOLONINA COIOGI MERENTESSEMO ET LIBERIO FILIO KARESSEMO FECET. D. S.*

CIL II 4173 (Tarracone inventa): *C. VALERIVS AVILLIVS VOLT NE-MAVSO VETERANVS LEG. VII G. F. DEFVCTVS ANN. XL. H. S. E.*

70. *Inscriptiones parietariae Pompejanae.*—De his fuse lateque disseruit Veikkus Väänänen fennicus in opere, cui titulus *Le latin des inscriptions pompéiennes* (Helsinki, 1937, pp. 228). In eo varietates et mutationes plurimas invenies tum in re graphica tum in re grammatica. Notandum tamen est inscriptiones Pompejanas esse magni momenti ad sermonem latinum vulgarem rite cognoscendum, ex eo quod ad certum tempus pertineant. Tempus saltem *ad quem* inscriptiones perveniunt, certe indicant, nempe ad annum 79 p. Chr. cum Vesuvius erumpens fatalem ignem ruinamque Pompejanis intulit. Inscriptiones pompejanae a C. ZANGEMEISTER et R. SCHÖNE in vol. IV *Inscriptionum Latinarum* collectae consilio et auctoritate Academiae litterarum regiae Burussicae editae sunt anno 1871 et vol. supplementaria annis 1898 et 1909. Haec pauca exempla afferre liceat:

CIL IV 5251 (CLE=*Carmina Latina epigraphica*, Fr. BÜCHELER, Leipzig, 1895/97; *Supplementum*, E. LOMMATZSCH, Leipzig 1926. Väänänen, p. 79): *RIISTITVTVS MVLTA DIICIPIIT SIIPII PVILLAS*; in orth. classica, *Restitutus multas decepit sibi puellas.*

CIL IV 1895 (Väänänen, p. 188): *VBI/PERNA COCTA/EST/SI CONVI-VAE APPONITVR / NON GVSTAT PERNAM LINGIT / OLLAM / AVT CACCABVM.*

CIL IV 4973 (Väänänen, p. 194): *MVLTA/OPUS S(...)/QVOD NIIS-CIIJRII DARII (...).*

71. *Scriptores Medii Aevi.*—Nonnullas tantum voces afferam in quibus apparet quomodo litterae facile inter se commutentur. Eas collegi ex opere Caroli STRECKER, *Introduction à l'étude du Latin Médiéval*<sup>65</sup>: *Matheus, Egyptus, que* (pro quae), *aeclesia,*

<sup>65</sup> K. STRECKER, *Introd. Latin Méd.*, trad. de l'allemand par P. Van de Woestijne, Lille/Genève (Libr. E. Droz, 14 rue Verdaine), 1948; A. FEDER, *Studien zum Schriftstellerkatalog des heiligen Hieronymus*, 1927, p. 13.



*praessus, sydera, limpha, tropeum, cenobium, Pheton, Feton* (pro *Phaeton*), *agurium, agustus, ascultare, Gretia, capud, inquit, adque, michi, nichil, nicil, pasca, crisma, cifus, fantasma, habundare, veit* (pro *vehit*), *hortus* (nacimiento), *ortus* (jardín), *thaurus, spera* (pro *sphaera*), *salmus, mistus* (pro *mixtus et maestus*), *Magestas, proprius / propius, frustra / frusta*.

72. c) *Mendosae inscriptiones*.—Saepe hac aetate inscriptiones maxime mandosas oculi offendunt. En tibi exempli gratia: ex CIL X 8249 (AUDOLLENT, 190; DIEHL, *Vglat.* 825) collecta haec vulgaris sermonis inscriptio:

Dii iferi, vobis comedo, si quicua sacitates habetes, ac tadro Ticene Carisi: quodqu[old] acat, quod incidat omnia in adversa. Dii iferi, vobis comedo illius membra, colore, figura, caput, capilla, umbra, cerebrum, frute, supe[rcil]lia, os, nasu, metu, buscas, la[bra, ve]rbu, vitu, colu, jocur, umeros, cor, pulmones, itestinas, vetre, bracia, dicitos, manus, ublicu, visica, femena, cenua, crura, talos, planta, ticanos. Dii iferi, si illa videro tubescete, vobis sacrificiu libens ob anuversariu facere dibus parentibus illius... peculiu(?) tabescas.

*Dii, inferi, vobis commendo, si quicquam sanctitatis habetis, ac trado Tychenem Carisi: quodquod (=quidquid) agat, quod (=ut) incidant omnia in adversa. Dii inferi, vobis commendo illius membra, colorem, figuram, caput, capillos, umbram, cerebrum, frontem, supercilia, os, nasum, mentum, buccas, labra, verbum, victum, collum, jecur, umeros, cor, pulmones, intestina, ventrem, braccia, digitos, manus, umbilicum, vesicam, femina, genua, crura, talos, plantas, digitos. Dii inferi, si illam videro tabescentem, vobis sacrificium libens ab anniversarium facere dis parentibus illius (voveo)... peculium (?) tabescas.*

## 2) ORTHOGRAPHORUM COPIA

73. *Orthographi Latini*.—Cum vero tam varia esset et mendosa ratio scribendi aetate postclassica et medio aevo, nihil mirum quod plerique grammatici semel iterumque enixe de orthographia latina instauranda et purganda agerent et curarent. Eorum scripta orthographica collecta sunt et edita Lipsiae in vol. VII ab H. KEIL, viro clmo.: *Grammatici Latini*, Lipsiae 1857/80. Horum Grammaticorum nomina summatim haec

sunt: Q. TERENTIUS SCAURUS (Keil, GL VII 3. ss.), VELIUS LONGUS (Id., VII 39 ss.), MARIUS VICTORINUS (Id., VI 3 ss.), AGROECIUS (Id., VII 113-125), PAPIRIANUS (Id., VI 133 ss.), Fl. Magnus Aurelius CASSIODORUS (Id., VII 129 ss.), S. BEDA (Id., VII 219), ceterique, praesertim PROBUS (Keil, GL IV 197-199), cujus appendix orthographica notissima fuit. Liceat nonnulla tantum afferre exempla ex hujus Probi appendice:

*Vetulus non vetlus, viridis non virdis, februaris non febrarius, columna non colomna, cavea non cavia, ansa non asa, speculum non speclum, auris non oricla, coquens non cokens, teter non tetrus, aper non aprus, tristis non tristus, calida non calda, frigida non frigda, cet.*

74. *Opus est instaurare orthographiam.*—Sed satis jam de orthographia historica. Quod intenderam aperte constat; nempe, quam varie auctores latini diverso tractu temporis scripserint, ideoque quam difficile sit practicam orthographiam statuere, in qua hodierni scriptores omnes conveniant. Sunt sua cuique mentes, sensus, placita. Oportet nihilominus nos - lectorum venia - singulari cura et studio eam in erratis corrigendam, statuendam in dubiis suscipiamus.

### III.—DE ORTHOGRAPHIA PRACTICA

75. *Lex orthographica.*—Si ergo ratio linguae latinae scribendi tam varia fuit vertentibus saeculis, ut ex historicis annotationibus apparet, nos, qui ad praxim firmas et stabiles formas requirimus, quasnam selegemus? Classicas, nonne? Sed classica orthographia non semper eadem fuit. Caesar differt a Vergilio, hic vero aliter scribit ac Quintilianus.

Lucianus Mueller<sup>66</sup>, quod supra (n. 10, 1) innuimus, hoc principium ad praxim statuit:

*In lingua latina servandus est mos scribendi, qui obtinuit apud cultissimum quemque Romanorum saeculo eo quod fuit inter Augusti mortem et Trajani (ab. a. p. Chr. n. 14 ad 117), proximum illud aureae litterarum latinarum aetati.*

76. *Cur orthographia saeculi primi?*—Cur ergo, objicies, ea

<sup>66</sup> MÜLLER, p. 5.

orthographia non utamur quae ipsimet aetati aureae stricte respondeat, si, cum de grammatica sermo est, classicis locutionibus primatum tribuimus?

Lucianus Mueller nullam ad rem explanationem affert. Haec tamen nobis proponenda videtur. Aetate aurea linguae latinae nondum scriptio firma et definita erat. Variabat enim in multis. Jam vero ea orthographia non est imponenda quae vigorem et firmitatem nondum obtinuerit, sed ea quae vere erronea non sit, quaeque post longam consuetudinem praevaluerit. Quod re vera non nisi sub aureae aetatis occasum, hoc est ineunte primo p. Chr. saeculo, evenit.

Atque id, nonne et in vernaculis linguis contigit? Nam orthographia, quae nunc scriptorum favore gaudet, maxime differt a ratione scribendi, quae apud classicos auctores, hispanos, ex. gr., viguit<sup>67</sup>. Quod ergo nunc in hodiernis linguis rectum censetur, quidni etiam in lingua latina?

77. *Divisio.*—Sed propius ad rem accedamus atque hac du-

---

<sup>67</sup> STA. TERESA DE JESUS, *Obras Completas*, vol. I, Madrid, BAC, 1951, p. 13 ss.: «Sta. Teresa, ajena por completo a los moldes escolares, adoptaba como norma su propia pronunciación. Escribía con *j* todos los sonidos fuertes, como *jente*, *Evanjelio* y con *g* los suaves como *gerra*, *gia*. Así mismo transcribe con *s* la *x* o la *g* de muchas palabras, como *relisión* por *religión* o *relixión* que otros escriben». In hoc eodem volumine (*Madrid*, BAC, 1951, I p. 130) habes tabulam photopictam editionis cujusdam operum Sanctae Teresiae a Jesu Antuerpiae apud Batavos typis mandatam, quae ita se habet: LAS OBRAS / DE LA S. MADRE / TERESA DE IESVS / FUNDADORA / DE LA REFORMACION / DE LAS DESCALÇAS Y DESCALÇOS / DE N. SEÑORA DEL CARMEN / TERCERA PARTE / QVE CONTIENE / SVS FVNDACIONES Y VISITAS / EN ANVERES / EN LA EMPRENTA / PLATINIANA / DE BALTHASAR MORETO / M.DC.XXX.

A. WOODFORD, *Obras de Juan de Cueto Mena*, Bogotá, 1952: «La ortografía... la que privaba en su época (1604-1662): 1) La *I* se usa siempre en vez de *J*; 2) la *y* reemplaza a la *i* a veces en diptongos interiores (*ayre*, *deleyte*); 3) hay casos en que se usa *hie* en vez de *ye* y viceversa (*hiena*, *hiermo*, *yelos*); 4) La *u* suele emplearse por *b* ó *v* en la parte interior de la palabra (*tuuo*, *deue*); 5) la *b* inicial se ve en ocasiones por *v*; 6) en trozos escritos enteramente con mayúsculas se usa la *V* por la *U* también en la parte interior de la palabra; 7) a veces se observa la *v* inicial por *b* (*vanda*, *vandera*), etc.».

plici partitione sermonem instituamus de orthographia practica:

A.—Principia orthographiae practicae.

B.—Index orthographicus.

#### A.—PRINCIPIA ORTHOGRAPHIAE PRACTICAE

78. *Regulae generales.*—Regulae generales orthographiae latinae eadem fere sunt ac regulae quae in romanis linguis vigent, ideoque non est quod de singulis agamus. Tamen sunt regulae quae ob specialem in lingua latina difficultatem vel ob vitiatam consuetudinem praeteriri nequeunt. Hujusmodi regulae seu principia ad haec nimirum pertinent.

- 1) Ad litteras initiales majusculas,
- 2) Ad syllabarum divisionem,
- 3) Ad orthographicas notas,
- 4) Ad composita vocabula,
- 5) Ad casus speciales,
- 6) Ad doctrinam de J et V litteris retinendis.

##### 1) LITTERAE INITIALES MAJUSCULAE

79. *Regulae.*—Litteras initiales majusculis signis scribes:

a) Initio cujuscumque scripti, et etiam post propositionem absolutam initio sententiarum seu periodorum. -

b) Intra ipsam propositionem, initio orationis directae, cum videlicet alterius ipsamet verba referuntur.

c) In propriis nominibus et in iis quae ut propria adhibeantur; ita ex. gr.: *Ecclesia* (=fidelium Congregatio), *Scriptura* (=Sacri videlicet libri), *Urbs* (=civitas Roma), *Livius*, *Aeneas*, *Latium*.

d) In appellativis nominibus quae Deum, Sanctos, viros egregios designant: *Optimus Maximus*, *Omnipotens*, *Verbum*, *Virgo*, *Summus Pontifex*, *Venusinus*, *Mantuanus*.

e) At adjectiva proprie talia, etsi a propriis nominibus proveniant, non majusculis, ut plerique docent, sed initialibus minusculis scribes. Usus contrarius a vitiata codicum capitalium transcriptione procedit; sed nunc humaniores viri nullam cum

romanice linguis differentiam statuunt. Scribes, igitur: *vir cel-tiberis, romana virtus, fides punica, litterae sacrae, dies dominica, lingua latina* <sup>68</sup>.

f) Nomina mensium minusculis quoque litteris scribi solent, ex. gr.: *mensis augustus*. Ludorum tamen nomina rectius majusculis signis scribes: *Bacchanalia, Lupercalia, Apollinaris ludi*.

g) Notae compendiariae (hisp. «*abreviaturas*») plerumque litteris majusculis usurpantur: *D. O. M.*, hoc est *Deo Optimo Maximo*; *M. Tullius M. f. Cicero*, hoc est *Marcus Tullius Marci filius Cicero*; *A. U. C.* et etiam *a. u. c.* = *ab Urbe condita*.

## 2) DE SYLLABARUM DIVISIONE

80. *Regulae*.—Syllabae in medio vocabulo hac ratione junguntur:

a) Cum una tantum consona inter vocales invenitur posteriori referenda est, ut usus fert in vernaculis linguis: *fa-ce-re, di-li-ge-re, a-mo-ri, cae-lum, de-a, me-us, le-o, a-er*.

b) Cum duplex consona est inter vocales, prima jungitur priori, altera posteriori: *aes-tas, ip-se, -pos-terior, con-do*.

c) Geminatae litterae unaquaeque ad syllabam diversam pertinent: *gib-bus, sic-cus, ag-ger, il-lis, sum-ma, an-nus, fer-re, pos-sum*.

d) Cum vero tres consonae vocalem sequuntur, ultima cum posteriori vocali, priores cum superiore sociabis: *sanc-tus, contemp-tus*.

Regula igitur satis trita <sup>69</sup>, juxta quam, in occurso duarum vel trium consonantium, tot sequenti syllabae referendae, quot initio vocabuli latini inveniri possint, non nisi a grammaticis saec. V inducta, ideoque ab hodiernis scriptoribus jure rejecta <sup>70</sup>. Scribes ergo: *plaus-trum, dig-nus*, minime *plau-strum, di-gnus*.

<sup>68</sup> BIBLIC., p. 77: «Proinde minusculis initialibus scribuntur omnia adjectiva proprie talia, etiamsi a nominibus propriis deriventur, v. gr., *libri sacri*». JOVE, *Cand, Lat.* n. 8, p. 40.

<sup>69</sup> BIBLIC., p. 12, 3 Nota.

<sup>70</sup> Ita ex. gr. LLOBERA, p. 15; OLEZA, p. 15; BIBLIC., p. 12, 3. Nota. Cfr. NIEDERMANN, n. 109, pp. 171-172 qui ratione phonetica, logica, historica rem plane explicat ac defendit.



81. *Notanda.*—Hoc tamen ante oculos habeas:

a) Cum e duabus vel tribus consonantibus ultima liquida est, tunc in syllabarum divisione, liquida et praecedens consona simul posteriori vocali adhaerent: *pro-prius*, *ae-gro-tare*, *cas-tra*.

b) Composita vero vocabula, juxta elementa quibus constant, recte divides: *con-stituere*, *con-scribere*, *pro-spicio*, *red-eo*.

At si pars prior compositi subobscura sit aut non integra, sequente vocali, ad regulas simplicium verborum distingues, v. gr.: *ani-mad-vertō*, *po-test*, *ve-neo*. Idem dicendum de verbis *quo-niam*, *e-tiam*, et similibus, quia *i* a voce «*iam*» in his verbis in vocalem transiit.

### 3) DE ORTHOGRAPHICIS NOTIS

82. *Regula praecipua.*—Ad interpunctionis notarum usum regula praecipua sit ut partium alicujus orationis distinctio, verborumque nexus et sensus orationis facilius intellegatur. Ideo iis fere orthographicis notis et simili ratione utemur in lingua latina quibus in vernacula lingua, sed signum interrogationis et admirationis exprimitur tantum exeunte oratione: *o tempora! o mores!*

Unde, quoad interpungendi notas, nimii ne simus in eis adhibendis, ne structura periodi latinae evertatur et membra plus aequo resecentur. Verba igitur Muellerii meminisse juvabit <sup>71</sup>:

*Itaque non ponendum comma ad separandum a verbo finito accusativum cum infinitivo vel ablativum absolutum, neque opus est sensus relativos, ubi participii periphrasis eis continetur et omissum est pronomen demonstrativum, includi commatis. Scribendum igitur: frustra negas crimen esse verum; re cognita Caesar sive Caesar re cognita in Galliam perrexit. Praeterea potest scribi: eum omnes qui norunt amant; sedulitas autem stulte quem diligit arguet. Praeterea ante «id quod», si eo respicitur totum enuntiatum, ponendum comma, ante, non post «id»: Timoleon, id quod difficillimum putatur, multo patientius tulit secundam quam adversam fortunam.*

83. *Praxis.*—Quamquam in maxima varietate certae ac fixae

<sup>71</sup> MÜLLER, p. 14.

regulae communiter admissae vix inveniri possunt, sequentes tamen majore probabilitate videntur commendari:

a) *virgula* (,) praecedente et sequente distinguuntur propositiones relativae, finales aliaeque subordinatae; item membra vel partes propositionis asyndetice enumeratae et additamenta alicui sententiae insita: *ait, inquit, quaesumus*, etc.; praeterea casus vocativi: *Domine, o rex*, etc.; ponitur etiam ante particulas *sed, at, vel, aut, tum*, etc.

b) *semicolon* (;) ponitur inter propositiones coordinatas quae ad eandem sententiam pertinent.

c) *colon* (:) locum habet ante orationem et interrogationem directam; eodem signo distinguitur propositio antecedens a sequenti apodosi ejusdem sententiae.

d) nullum signum distinctum adhibetur ante particulas *et, ac, atque, que*, pariterque ante propositiones indirectas cum accusativo et infinitivo, nisi ad sensus claritatem et perspicuitatem requiratur.

84. *Notae speciales*.—Liceat etiam notas speciales recensere quae a graecis et latinis grammaticis versibus apponi consuerunt, ex. gr.:

— *obelus*, ut versus improbi aut incongrui notarentur.

\* *asteriscus*, illis locis appositus ubi sensus deerat.

) *antisigma*, ad eos versus quorum ordo permutandus erat.

• *obelus cum puncto*, ad ea de quibus dubitabatur tolli deberent necne.

> *diple*, ad separanda verba; >— *diple et obelus* ad separandas periodos in comoediis et tragoediis.

—< *obelus cum aversa*, quotiens strophae antistrophos infertur.

^ *ancora superior*, ad aliquod praecipue dictum.

∨ *ancora inferior*, ad inconvenientius quid enuntiatum (Cfr. KEIL, GL VII, 533-536).

' *apostrophos*, hoc est semicirculus aversus ad summam litteram appositus, cui vocalis seu consona est subtracta, ut *adeon', tun', sati', opust', audin'*.

## 4) DE COMPOSITIS VOCIBUS

85. *Duplex scribendi ratio.*—In verborum compositione, duplex distingui solet orthographia, etymologica videlicet et euphonica <sup>72</sup>. Prior, in codicibus et veteribus inscriptionibus usitatissima, per simplicem verborum «juxtapositionem» procedit; posterior, vertentibus saeculis vulgatissima, a grammaticis propugnata ad «assimilationis» regulas aptatur. Hujus rei exempla habes in verbis graecis et romanis, v. gr.: εὐβάλλω (ἐν-βάλλω), συρρέω (συν-ρέω,) *impugno*, (*in-pugno*), *irruo* (*in-ruo*), *caeruleum* pro *caeluleum*, *Gracchus* pro *Grachchus*, *meridies* pro *medidies*.

Jam vero quaestio practica orta est utra praehabenda sit. Ex utraque parte sententiae. Etymologica enim et antiquior et magis perspicua, at durior et posterioribus saeculis rarior, quamquam non desunt viri peritissimi qui eam iterum inducere curent. Euphonica vero et legibus phoneticae latinae magis concors, quarum amantissimi fuerunt tum graeci tum romani, et per longum tempus ubique fere terrarum trita et pervulgata. Igitur cum utraque legitima sit, non est quod angamur animo. Sit in rebus dubiis libertas. Res tamen quamquam impeditissima difficultatibus est si epigraphica argumenta perpendimus, si vero usui doctrinaeque grammaticorum consulimus,

---

<sup>72</sup> Euphonicam dicimus potius quam phoneticam, quia phonetica orthographia proprie ea est quae signis specialibus utitur sonis uniuscujusque litterarum respondentibus. Ad rem verba clmi. BRUGMANN: «Les signes graphiques traditionnels des peuples indoeuropéens, auxquels on doit se reporter pour étudier l'évolution phonétique en ce qui concerne le passé des langues, ne sont jamais que de représentations incomplètes de la parole vivante. Les symboles graphiques repondent en gros à la prononciation du temps où il on été introduits; mais la prononciation change avec le temps et les symboles graphiques ne changent ordinairement pas d'une façon qui reponde à cette évolution: ou bien ces symboles restent simplement en usage, ou bien, si l'on tient compte dans l'écriture des changements de la langue, cela ne se fait le plus souvent que quelques temps après qu'ils se sont produit... C'est pour cela que l'on a si souvent une orthographie dite historique à la place de l'orthographie phonétique» (*Abrégé de grammaire comparée des langues indo-européennes*, trad. franc. de Bloch-Cuny-Ernout, Paris, 1905; pág. 43).

est haud iudicatu difficillima. Nos igitur ad euphonicam orthographiam facile confugiemus.

86. *Euphonica orthographia commendatur.*—Quod tamen nihil obstat quominus mihi, ubi duplex constat scriptura, ea maxime placeat quae commendatur soni suavitate. Etenim, cum certum sit *Romanis saepe non eodem modo pronuntiasse atque scripsisse*<sup>73</sup> —quod maxime in praepositionibus seu praefixis apparet—, cumque vim quandam adhuc retineat illud Quintiliani: *sic scribendum quidque iudico quomodo sonat*<sup>74</sup>, nescio cur ab euphonica orthographia, quae optimo jure praevaluit, recedendum.

Ergo in ordine orthographico noli mirari, lector humanissime, si malumus in proponendo regulas praesertim ad composita verba conscribenda euphonicae potius orthographiae consulere<sup>75</sup>, teste enim Papiriano (KEIL, GL VII 161, 9) *aliter scribere, aliter pronuntiare vecordis est* (Cfr. num. 9).

#### 5) REGULAE SPECIALES

87. *Magistri verba.*—Regulas quae sequuntur Cimus. EMANUEL JOVE, commentariorum quibus titulus «*Palaestra Latina*» et «*Candidatus Latinus*», institutor et fautor, sociis et scriptoribus commentariis anno jam 1929, eisdem fere verbis proponebat<sup>76</sup>:

1) Ante litteras labiales *B, M, P, F*, cum *I* ad *U* fluctuabit, *I* nobis perpetuo erit: ergo *optimus, libido*, nimine vero *optumus, lubido*, cet.

2) Plurales in *-es* tertiae declinationis in nullis vocibus per *-is* sufficiemus: unde *tres vidi naves*, nequaquam *tris vidi navis*.

3) Concurrentibus in eodem vocabulo *U + U* vel *V + U*,

<sup>73</sup> MÜLLER, p. 22.

<sup>74</sup> QUINT. 1, 7, 30.

<sup>75</sup> Veteres grammatici euphonicam orthographiam maluerunt (KEIL GL VII *De Orthographia*, passim, sed speciatim, cfr. pag. 161-163). JIM. DELGADO, *Helm.* VIII (1956), 121-128.

<sup>76</sup> JOVE, *Candidatus Latinus*, nn. 8-11: De orthographia.

non scribemus earum alteram *O*, ut plerumque tempore Reipublicae accidit: ergo *vultus*, non *voltus*.

4) Concurrentibus item duobus *II* vel *JI*, nisi in vocativis nominum in *-jus* et *-ius* praecedenti vocali, nullam earum litteram expungemus in ceteris casibus, quamquam hic fuit mos a classicis servatus<sup>77</sup>: scribemus igitur *ingenii*, minime *ingeni*.

5) Quoad diphthongos probatissimos sequemur auctores: unde, *caelum*, nequaquam *coelum*.

6) Litteras graecas, *y*, *th*, *ch*, *ph*, *z* non nisi in vocabulis vere graecis admittemus.

7) Littera *m* ante consonantes dentales (*d*, *t*) semper in *n* mutatur assimilationis causa. Unde scribemus: *eundem*, *eorundem*, *tandem*, *tantum*, *quendam*. Sequentem *c* saepius permanet *m*: *numquam*, *quemquam*, *quamquam*; aliquando vero transit in *n*: *tunc ex tumce*<sup>78</sup>.

8) Servabimus litteras *J* et *V*, quae sonum exprimant consonantium *I* et *U*, quamvis certo constat unum eundemque signum apud romanos communiter duplicem sonum, vocalem videlicet et consonam expressisse. Sed de hac re, cum plerique nostra aetate contrarium sentiant, opportunum visum est de eadem fusse lateque dicere atque argumenta quae sint quantique momenti perpendere.

#### 6) DE J ET V LITTERIS RETINENDIS

88. *Unum idemque signum apud Romanos.*—Non nisi unum idemque fuisse apud romanos signum ad *I* et *U* vocales et ad *J* et *V* consonas exprimendas neminem fugit. Testantur inscrip-

<sup>77</sup> Usque ad Propertium et Ovidium in genitivis substantivorum in *-ius*, *-jus* exeuntium uno tantum *i* Romani et scribebant et proferebant, ex. gr. *Tulli, consili*; postea vero scribere coeperunt duplici *i*, *Tullii, consilii*. Simili ratione antiqui scribere solebant *Pompei, Baiis, Maiis*, et ita in nom., dat., ablat. plur. verborum in *-ajus/-ejus* exeuntium. Idem notat J. BAYET, in praestantioribus codicibus Titi Livii: cfr. TITE-LIVE, *Histoire Romaine* (Budé) t. I, Paris, 1947, p. CXXVIII: *Tarquinis* (I 42, 1; 56, 9) *uigilis* (III, 28, 4), *obuis* (III, 54, 10).

<sup>78</sup> MÜLLER, p. 21; OLEZA, n. 1202.



tiones omnes, scriptorum reliquiae, grammatici. Quintilianum audiamus (1, 4, 10-11) de hac re loquentem:

*Atque etiam in ipsis vocalibus —inquit— grammatici est videre an aliquas pro consonantibus usus acceperit, quia I A M sicut E T I A M scribitur et V O S ut T V O S. At quae ut vocales iunguntur, aut unam longam faciunt, ut veteres scripserunt, qui geminatione earum velut apice utebantur, aut <diphthongum; iungimus autem, non plures quam> duas; nisi quis putat etiam ex tribus vocalibus syllabam fieri, quod nequit fieri si non aliquae officio consonantium fungantur. Quaeret hoc etiam quo modo duabus demum vocalibus in se ipsas coeundi natura sit, cum consonantium nulla nisi alteram frangat. Atqui littera I sibi insidit («coniicit» enim est ab illo «iacit») et V, quo modo nunc scribitur VVLGVVS et SERVVS. Sciat etiam Ciceroni placuisse AIIO, MAIIAMQUE geminata I scribere: quod si est, etiam iungetur ut consonans.*

Et postea ipse Quintilianus de gemina V vocali et consonanti aperte loquitur (1, 7, 26): *nostri praeceptores SERVOM CERVOMQUE, V et O litteris scripserunt...; nunc V gemina scribuntur; neutro sane modo vox quam sentimus efficitur, nec inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos usus litteram adiecerat.*

89. *I/J, U/V, non unum eundemque sonum habebant.*—Tempore Quintiliani nequaquam idem sonabat u vocalis et u consona, ut ex nunc allato testimonio patet: «nunc u gemina scribuntur; neutro sane modo vox quam sentimus efficitur», et quia *diversum his litteris erat sonus*, non inutiliter, ait Quint., Cladius digamma, h.e. Aeolicam litteram adjecit.

Adde testimonium epigraphicum. Constat enim, saltem jam a saec. I post Chr. n., V consonam et B sine discrimine saepissime usurpatas esse. Sint ex. gr.:

MANDVCA VIBE LVDE E[T] BENI AD ME (CIL VI 142)  
 LIBERTAV[VS] CIL I 1062 pro *libertabus*  
 IVVENTE CIL XI 137 pro *iubente*  
 SILBANO CIL XI 3732 pro *Silvano*  
 BERECVNDUS CIL VI 217 pro *verecundus*

ACERVISSIMAM CIL X 1208, 12 pro *acerbissimam*  
BERBECES CIL VI 1099 - I 92 pro *verveces* <sup>79</sup>.

Nec desunt in ipsa lingua latina exempla quibus constat eundem esse sonum inter *V* et *B* consonas, ideoque *V* consonam aliter sonavisse ac *V* vocalis. Ex. gr.:

curabit pro curavit, iubentutis pro juventutis, biginti pro viginti, bixit pro vixit, botu pro votum, inbicto pro invicto, cerbus pro cervus, serbat et solbit pro servat et solvit.

Quod confirmatur transcriptionibus litterae *V* consonantis in linguam graecam, quae a saec. I post Chr. litteris *B* aut *OY* saepe fiebat. Constat ex. gr. ex titulo Claudio Claudiano dicato <sup>80</sup>:

...*Arcadius et Honorius [fe]licissimi ac doctissimi imperatores, senatu petente, statuam in foro Traiani erigi collocarique iusserunt: 'Εν ἐνὶ Βεργίλιοι.*

Sunt et aliae plurimae inscriptiones <sup>81</sup> in quibus legimus ex. gr.:

*Νέρουα sive Νέρβα pro Nerva; Οὐιουία pro Vibia.*

Unde ex hac indistincta ratione scribendi *V/B* licentias seu formarum disparitates promanarunt tum in ipsa lingua latina tum in linguis vernaculis <sup>82</sup>. Nota ex. gr.: lat. *corvus*/ ital. *corbo* / fr. *corbeau*; lat. *curvus* / ant. fr. *corp* / hisp. *corvo*/cat. *corbella* (parva falx); *nervus* lat./ital. *nerbo*/fr. *nerf*/hisp. *nervio*; *servare* lat./ital. *serbare, servire*; lat. *mirabilia, vota, verre-re*/hisp. *maravilla, boda, barrer*.

<sup>79</sup> NIEDERMANN, n. 44, p. 87-89.

<sup>80</sup> CIL VI 1710; DESSAU, 2949; cfr. TEUFFEL, *Gesch. Röm. Lit.*, Leipzig Teubner 1920<sup>7</sup>, 439, 1. LLOBERA, p. 197, nota 3. «Ante hos quadringentos prope annos Angelus Politianus in miscellaneis verum docuit. Quod (Vergilium esset scribendum) et titulis tam liberae reipublicae, quam priorum post Christum saeculorum omnibus fere et codicum antiquissimorum fide, et Graecorum scriptorum, qui Οὐεργίλιος vel Βεργίλιος scribere solent, consuetudine satis superque confirmatur.

<sup>81</sup> T. ECKINGER, p. 95.

<sup>82</sup> GRANDGENT, *Introducción al latín vulgar*, Madrid, 1928, pp. 203-206; J. DELGADO, *Hel.* pp. 250-251; MEYER LÜBKE, *Lingüística Románica*, Madrid 1926, pp. 251-254.

Quondam tamen *V* vocalis et *V* consona, sicut et idem signum ita et eundem sonum habuisse videntur. Est Ciceronis testimonium (*De nat. deor* 2, 84). Cum enim M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas (*higos secos*) Cauno advectas vendens, *c a u n e a s*, clamitabat; ipse vero se monitum credidit ne eo iret, ut si *cauneas* idem esset ac *caue ne eas*.

90. *Romani distinctionem graphicam inter I et V vocales et inter I et V consonantes desiderarunt.*—Quod si nulla fuit inter *I/V* consonas et vocales distinctio orthographica, hoc vitio et inopiae orthographiae latinae tribuendum, utpote quae a graeca lingua mutuata variis linguae latinae sonis non omnino adaequabatur; unde opus fuit vertentibus annis litteras graecas linguae latinae pressius aptare vitiaque veteris scriptionis corrigere ipsamque orthographiam in nonnullis novare. Quod vero ad distinctionem inter *I/V* consonam et vocalem spectat, ipsi scriptores romani inductam voluerunt enixeque desiderarunt signum proprium et distinctum singulis sonis respondens.

Exstat in primis pro littera *V* Quintiliani testimonium (1, 7, 26) prius allatum: nempe non inutiliter digamma, litteram a Claudio inductam, usitatam esse ad *V* consonantem exprimendam.

Sed luculentius ipse Quintilianus haec habet (1, 4, 7-10):  
*An cuiuslibet auris est exigere litterarum sonos? Non hercule magis quam nervorum. At grammatici saltem omnes in hanc descendent rerum tenuitatem, desintque aliquae nobis necessariae litterae, non cum graeca scribimus (tum enim ab isdem duas mutuamur), sed proprie in latinis, ut in his «seruus» et «uulgus» aeolicum digammon desideratur, et medius est quidam «u» et «i» litterae sonus (non enim sic optimum» dicimus vel «optimum») et in «here» neque «e» plane neque «i» auditur. An rursus aliae redundant, praeter illam adspirationis, quae, si necessaria est, etiam contrariam sibi poscit, ut «k», quae et ipsa quorundam nominum nota est, et «q», cuius similis effectu specieque, nisi quod paulum a nostris obliquatur, coppa apud Graecos nunc tantum in numero manet, et nostrarum ultima, qua tam carere potuimus, quam ϕ non quaerimus.*

Quod vero ad *I* consonam attinet, constat plures conatus et consilia jam aetate classica inita esse ad distinctionem statuendam cum *I* vocali. Atque re vera:

1) In plerisque CICERO videtur auditu emensus scriptio-nem, qui et *Aiiacem* et *Maiiam* per duo *i* scribendam existi-mavit <sup>83</sup>.

2) *Pompeii* quoque genetivum per tria *i* antiqui scribebant, quorum duo priora loco consonantium accipiebant, ut si di-cas *Pompeii-i* <sup>84</sup>.

3) *Pompeiius*, *Tarpeiius*, *eius* per duo *i* scribenda sunt et propter sonum (plenius enim sonant) et propter metra: haec grammaticorum doctrina <sup>85</sup>.

4) Post classicam aetatem *I* longum quod prius ad *i* (=na-tura longum) fuerat inductum, ad *i* consonam (=hoc est «j») communiter usurpatum est <sup>86</sup>.

5) Ad rem haec perpendenda Prisciani verba: *Videntur ta-men I et V, cum in consonantes transeunt, quantum ad potes-tatem, quod maximum est in elementis, aliae litterae esse prae-ter supra dictas; multum enim interest, utrum vocales sint an consonantes. Sicut enim, quamvis in varia figura et vario no-mine sint K et Q et C, tamen, quia unam vim habent tam metro quam in sono, pro una littera accipi debent, sic I et V, quamvis unum nomen et unam habeant figuram tam vocales quam consonantes, tamen, quia diversum sonum et diversam vim habent in metris et in pronuntiatione syllabarum, non sunt in eisdem meo iudicio elementis accipiendae... Multa enim est differentia inter consonantes, ut diximus, et vocales. Tantum enim fere interest inter vocales et consonantes quantum inter animas et corpora...* <sup>87</sup>.

<sup>83</sup> VEL. LONGUS: KEIL GL VII 54; QUINT. 1, 4, 11.

<sup>84</sup> PRISCIANUS: KEIL, GL II, 14.

<sup>85</sup> CASSIODORUS: KEIL GL VII 296 ss.

<sup>86</sup> EDON, *Ecrit.* pp. 10, 16, 90.

<sup>87</sup> KEIL GL II 13. Cum vero nullum fuerit discrimen seu distinctio graphi-ca inter *U* et *V*, difficultates quasdam exortae sunt in enuntiatione seu elocutione verborum, ut notat E. ORTH: «Helmantica» 8 (1957) 99 et TH. BIRT, *Sprach man AVRUM oder AURUM?*: «Rhein. Museum» 52 (1897); W. CORSEN, *Ueber Aussprache*: Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache I (Leipzig 1868) 632.



Neque est quod hos romanorum conatus et consilia miremur. Ipsi enim sentiebant se aliter hos sonos scribere, aliter eos pronuntiare, quod erat contra tritam illam legem orthographicam a Quintiliano (1, 7, 30) et ab aliis sancitam: *Ego... sic scribendum, quomodo sonat... Aliter scribere, aliter pronuntiare vecordis est* (KIEL GL VII 161, 9).

Atque —ut supra diximus— vitium erat orthographiae latinae, ex eo proveniens quod Latini litterarum seriem a Graecis mutuam acceperant, nequaquam linguae latinae omnino aptatam. Verba enim latina in quibus *I* et *V* consonae apparent variis respondent graecis litteris seu signis graphicis, quia re vera *I* et *V* litterae latinae non semper sunt ejusdem naturae nec eandem habent originem.

91. *I et V consonae latinae non semper sunt ejusdem naturae.*—Clarus vir Forcellini cum de littera *I* scribit haec habet:

«*I*, tertia latinarum vocalium, tum figura, tum sono ceterarum gracillima, duplicem vim habet. Nam quando aliis vocalibus praeponitur et cum illis in eadem syllaba cohaeret, fit consonans, tum initio tum medio dictionis, ut *janua*, *jecur*, *jocus*, *juvenis*, et *conjicio*, *conjuro*, *conjungo*. Id intellege in latinis vocibus; nam in graecis semper vocalis est, ut *iambus*, *iaspis*... Consonans fit etiam cum inter duas vocales sita est et praecedentem vocalem extendit, ut *ejicio*, *major*, *ajo*: excipe *bijugus*, *quadrijugus*, in quibus prior syllaba brevis est».

De *V* littera ipse Forcellini scribit:

«*U*, ultima vocalium latinarum (apud Graecos *υ* et *ου* saepe consonantis vim habet, nempe quoties alteri vocali praeposita eam comprimit, ut in *vaco*, *velox*, *vita*, *vox*, *vultus*. Poetae autem saepe dissolvunt, ut in *euoluisse*, quod Ovid. (12. *Heroid.* 4) quinque syllabarum facit, et in *silua*, quod Horat. (Epod. 13, 2) trium».

Nunc vero si rem attente consideramus verbaque nonnulla perpendimus, inveniemus tum *I* tum *V* consonas latinas diversis litteris praelatinis respondere, ideoque eas esse origine et natura diversas. Sint ex. gr. haec verba <sup>88</sup>:

IECVR, ai. *yákr̥t*, gr. ἦπαρ.  
IVGVM, ai. *yugám*, gr. ζυγόν.

<sup>88</sup> WALDE-HOFMANN, *Lateinisches etym. Wörterbuch*<sup>s</sup>, Heidelberg 1938-1954.



IVPPITER, in ant. lat. *Diespiter*. gr. Ζεῦ πάτερ [Ζεός, Ζήν, Διός].

IVVENIS, ai. *yúva*, gr. νέος, lit. *jáunas*.

AIO (ex \**agio*), gr. ἦ (ex ἡμί dico); cfr. lat. *adagium, prodigium, indigitamenta*.

EIVS (ex \**esios*), ai. *ásya*.

MAIOR (ex \**magios*), gr. μέζων (μέγας, \*μεγ- jων); cfr. *magnus, magis magister, maximus* (\**mag-simus*)

NIVEM, gr. νίφα.

NOVVS, ai. *návah*. gr. νέ[F]ος.

SVAVIS, gr. ἠδύς (dor. ἀδύς); cfr. ἠδονή, ex \* *Fαδονά*

VIDEO, ai. *véda* (ego scio), gr. οἶδα (ego scio).

VINVM, gr. [F]οῖνος.

92. *Graphica distinctio inter I/U et J/V.*—Cum vero jam Romani ex una parte inopiam orthographiae latinae conquirentur et deplorarent, ex altera, diversae forent natura et origine tum vocales *I* et *U*, tum consonantes *J* et *V*, oportunum visum est duplex signum graphicum statuere duplici sono respondens.

Saeculo tamen XVI currente signum speciale ad *I* et *V* consonas nondum inductum fuerat, ut ex *Vive* nostro colligi potest, qui ait: *vocales quinque sunt in vocabulo hispano o u e i a*, id est OVEJA<sup>89</sup>.

Attamen cum latina vocabula quae per *i* et *u* scribebantur nec eandem semper vim haberent (quandoque enim de vocali, quandoque de consona agitur) nec unam eandemque ducerent originem, prudenti quidem consilio Petrus ille Ramus<sup>90</sup>, anno

<sup>89</sup> VIVES, *Diálogos latinos*, Barcelona, Edit. Políglota, 1940, p. 38: *Lectio*: «Unaquaeque istarum vocatur littera; ex his quinque sunt vocales, *a, e, i, o, u*, quae sunt in vocabulo hispano *oueia*, quae est ovis. Memineris hujus verbi».

<sup>90</sup> De Ramo grammatico et philosopho nonnulla inventes in DEZOBRY-BACHELET, *Dict. de Geographie et d'Histoire*, Libr. Delagrassé, Paris, 1876, VII<sup>e</sup> editione: «Ramus, en français La RAMEE (Pierre) célèbre philosophe né dans Vemandois vers 1502, m. 1572... Les principaux ouvrages son: In IV libros *Georgicorum* et in *Bucolica praelectiones* (1555-1556), *Ciceronianus* (1556); *Scholae Grammaticae Libri II* (1559), liber de moribus veterum

1562 *j* et *v* consonas induxit et a vocalibus *i* et *u* distinguendas proposuit. Consilium felici omine prodiit, adeo ut scriptores ubique terrarum civitate has litteras donaverint et per aliquot saecula ipsae praevaluerint.

93. *J et V nunc iterum rejiciendae?*—Sed, o levitas hominum et inconstantia! Quae litterarum *J/V* ab *I/V* distinctio in honore fuit cadere coepta est iterumque renasci dixeris qui jam ceciderat earundem litterarum usus haud distinctus; ideoque, ut nunc se res habet, varia diversaque sunt scriptorum placita. Aliis priscorum vestigia sequentibus placet «*i u u e n e s*» scribere; alii cum Ramo novatore «*j u v e n e s*» scribunt; alii vero utramque praxim cohaerentes confusionem gignunt cum «*i u v e n e s*» scribere malunt.

94. *Scholae variae.*—Unde tres quasi scholae coortae sunt, quarum primam *i u u e n i s t a m*, alteram *i u v e n i s t a m*, tertiam *j u v e n i s t a m* diceres.

a) *I u v e n i s m u m* profitentur in primis itali, quibus «*j*» quid mirum sonat, utpote quod id signum in vernacula lingua numquam sit receptum. Magna quoque pars scriptorum qui hodie cogitata sua latine exprimere satagunt, eandem viam inscii consciive sequuntur. Sunt etiam plures ephemerides classicae quae hunc usum retineant, videlicet: «*Latinitas*» in Civitate Vaticana, «*Les Etudes Classiques*» Namurci in Belgio, «*Aevum*» Mediolani in Italia, «*Rivista di Studi Classici*» Augustae Taurinorum, cet.

b) *I u u e n i s t a s* invenies praesertim inter scriptores commentariorum majoris momenti, ex. gr. «*Revue des Etudes Latines*» Lutetiae Parisiorum, «*Emerita*» Matriti in Hispania. Haec quoque ratio scribendi adhibetur plerumque optimo quidem consilio in editionibus criticis auctorum classicorum.

---

gallorum (1559-1562), *Grammatica Latina* (1558), *Grammatica Graeca* (1560), *Grammaire Française* (1562) où il propose quelques réformes orthographiques, qui ont été conservés, entre autres, la distinction de l'*u* et du *v*, de *i* et du *j*... En 1562, Ramus présenta à Charles IX un plan pour la réforme de l'université. Les persecutions l'y suivirent. On alla jusqu'à lui faire un crime de la façon dont il prononçait les mots *quisque* et *quamquam*...».

c) Nobis autem cum *juvenistis* remanere placuit et tritam servare viam qua omnes scriptores superiorum saeculorum, post Ramum novatorem, laeti et sine discrimine, iter fecerunt. Hanc viam retinent litterarum classicarum commentarii, ut «Palaestra Latina» Barcinone in Hispania, «Vita Latina» Avennionem in Gallia, «Helmantica» Salmanticae in Universitate Pontificia.

Sunt denique qui impudenter et sine religione litteras *J* et *V* ad libitum adhibeant vel rejiciant, quod nemini probandum censemus.

95. *Ergo J et V litterae retinendae.*—Quid ergo? Tametsi video quot quantique viri in nos exsurgant quantaque tempestas invidiae nobis impendeat, quidni nostram in hac re adserere sententiam eamque ad trutinam afferre audeam? Atque in primis hoc aperte profiteri liceat, me pro justa et legitima causa decertare, meque numquam adeo vetustorum amatorem prae-buisse ut ab aptiore, firmiore, utiliore scribendi ratione inconsulto differre atque avertere patiar.

96. *Est enim aptior, firmior, utilior scribendi ratio.*—Jam vero aptior, firmior, utilior scribendi ratio non in eo est ut «*J*» rejiciamus dum «*V*» retinemus. Quia nonne utrisque eadem est ratio? nonne eadem statera «*J*» et «*V*» pensanda? Ego equidem si sententiam rogarer inter *i u v e n i s t a s* et *i u u e n i s t a s* proferendam, re attente considerata, pro his certo starem qui utrumque et «*J*» et «*V*» ab scriptione amandant. Sibi ergo non constat bonus F. ANTOINE *i u v e n i s t a* cum, vera falsis remiscens, haec ait:

*Les lettres I et U jouaient dans l'alphabet latin un rôle double : elles étaient à la fois voyelles et consonnes. I voyelle=notre i, I consonne=notre j; V voyelle=notre u; V consonne=notre v. Il y a, en effet, entre i et j. u et v, une grande affinité. L'emploi de deux lettres différentes pour représenter le son voyelle et le son consonnantique de j et de v est une invention du XVII<sup>e</sup> siècle<sup>91</sup>. Il n'y a aucun inconvénient à conserver, pour la commodité de l'écriture, u et v. Il faut seulement nous rappeler que cette distinction est tout à fait conventionnelle et arbitraire, et ne repose sur aucun fait historique. Mais le signe «j» est absolument étranger à l'anti-*

<sup>91</sup> Nequaquam saec. XVII, sed saec. XVI; anno videlicet, 1562.

quité, et il faut le rejeter des textes latins, d'autant plus que cette lettre est parfaitement inutile <sup>92</sup>.

97. Neque «J» littera inutilis est.—At inutilis littera J? Ita plures autumant et graves scriptores <sup>93</sup>. Sed inutile quod desiderarunt romani, quodque sedulo servant linguae vernaculae, et ipsi philologi ad orthographiam phoneticam sibi vindicant?

Atque re vera romanos I consonam desiderasse certissime constat, ut jam supra (cfr. num. 90) exposui.

Praeterea si italam linguam excipias, ceterae linguae «J» litteram sedulo retinent. En exempla:

Ling. latina	hispana	gallica	germana	anglica	itala
juvenis	joven	jeune	Jung	young	giovene
jocus	juego	jeu	—	joke	gioco
judex	juez	juge	—	—	giudice
jugum	yugo	joug	Joch	yoke	giogo
jungere	juntar	joindre	—	to join	aggiogare

Quod plane patet si nomina quaedam virorum seu mulierum propria attente consideremus et inter se conferamus, ex. gr.:

Ling. latina	hispana	gallica	germana	anglica	itala
Jesus	Jesús	Jésus	Jesus	Jesus	Gesú
Jacobus	Jacobo (Jaime)	Jacques	Jakob	James	Giacomo
Joachimus	Joaquín	Joachim	Joachim	Joachim	Gioacchino
Jeremias	Jeremías	Jérémie	Jeremias	Jeremy	Geremia
Josephus	José	Joseph	Joseph	Joseph	Giuseppe

At haec nomina minime sunt latina. Certo, sed ea in lingua latina jam pridem civitatem acceperunt, ideoque vim quandam probationis praebent. Immo a lingua latina in vernaculas linguas hae voces promanarunt. Unde res quidem mira esset nunc latine nos littera J sublata haec nomina scribere (*Iesus, Iacobus, Iosephus*), eademque servata littera J communiter scribere in hodiernis linguis (*Jesús, Jacobo, José*). Quae praesertim ratio cogit cum de lingua germanica agitur, quia germani

<sup>92</sup> ANTOINE, p. 5.

<sup>93</sup> Cfr. ex. gr. MAROUZEAU, *Introduction*, p. 16; BIBLIC., p. 14; MÜLLER, p. 12: «Nos servata U vel u ad ambiguitatem quorundam verborum tollendam abdicabimus J et j, quae plane sunt supervacaneae».

solent a lingua latina propria nomina accipere sine ulla fere mutatione orthographica.

Ipsi philologi qui hodiernis temporibus *J* et *V* rejicere conantur, signum speciale inducunt in orthographia phonetica adhibendum; hoc est, *i* et *u* pro *j* et *v* (*x* ad sonum speciale quo hispani proferimus *j*: *xāmas*=*jamás*); at nonne magis consentaneum foret id quod jam fuerat usu et saeculorum consuetudine sancitum utrumque et *j* et *v* diligentius retinere? Unde non immerito clarus Edon haec notatu digna verba affert: *Bien que cette distinction a été inconnue aux latins, nous préférons sur ce point la clarté à la exactitude* <sup>94</sup>.

Adde quod, si ratio valet eorum qui dicunt litteras *J* et *V* esse rejiciendas quia fuerunt priscis romanis incognitae, ex hac eadem ratione essent omnes litterae minusculae omnino rejiciendae, cum certo constet nunquam romani nisi majusculis, quas dicunt, litteris scripsisse. Sed recti consilii est cedere temporibus et rerum cursui parere.

98.—*Quod si a lingua latina rejiciendae sunt litterae J et V, cur in linguis vernaculis retinendae?*—Sed oportet diutius in hac re mente consistere. Qui litteris *J* et *V* adversantur asserunt has litteras a lingua latina rejiciendas quia ignotae omnino fuerint scriptoribus classicae aetatis. Certo vera dicunt, sed si haec ratio valet pro lingua latina, eadem ratio stat pro linguis vernaculis, quibus distinctio *J* et *V* litterarum fuit ante saec. XVI omnino ignota. Nondum enim inductae erant a Petro Ramo.

In prooemio vitae Stae. Teresiae Abulensis <sup>95</sup> P. Ephrem a Matre Dei disserit de orthographia teresiana, quae maxime ambigua est indocta et varia. In eam nondum distinctio *J* et *V* litterarum invecta erat; saepe littera *X* pro *J* adhibetur, sicut nunc quoque in civitatibus Americanis: *México Guadalajara*,

<sup>94</sup> EDON, *Ecrit*, p. 25.

<sup>95</sup> STA. TERESA DE JESUS, *Obras Completas*, vol. I. BAC, Madrid, 1951; cfr. notulam 67.



*Guanaxuato*<sup>96</sup>. Adest jam I directe deorsum longum quod litteram J praenuntiat.

a caba ya de dexarme  
 vida no me sea molesta  
 por q muriedo q festa  
 fino vivir y gozar me  
 no dexes de consolarme  
 muerte q ansí te heguiero  
 q unero por q no unero/

Hereso de Jesus

Ad manus est mihi opus magni momenti quod in bibliotheca Seminarii Barcinonensis servatur, cui titulus: FRANCISCO PETRARCA, *De los remedios contra próspera y adversa fortuna*<sup>97</sup>. Ex eodem haec exscripsi:

*Por manera que cualquiera que haya aprendido a pintar algo en pergamino, o a tomar la péndola, aunque carezca de toda doctrina, es tenido por escriptor. No busco ya, ni me queixo de la ortografía, que ha días que pereció...*

Ergo si «j» littera a lingua latina ex allata ratione amandanda esset, a ceteris quoque linguis, sive hispana, sive gallica,

<sup>96</sup> NAVARRO TOMAS, *Manual de Pronunciación Española*, 6.ª edic. Madrid, 1950, p. 33: Alfabeto fonético: x=j en jamás.

<sup>97</sup> FRANC. PETRARCA, *Obra de consolación humana y divina puesta en castellano*, por Francisco de Madrid, arcediano y canónigo de Palencia, Zaragoza. J. Coci, 1523».

sive germana, sive anglica, cet. eadem ratione rejici opus esset. At hujus consilii incommodum quis non videat?

99. *Confirmatur testimoniis.*—Neque desunt viri clarissimi qui litteras *J* et *V* retinendas propugnent. Atque in primis ANTONII MEILLET, magistri egregii, verba graviora afferamus, qui contra *i u v e n i s t a s*, *J* et *V* litteras aut duo retinendas aut duo rejiciendas censet. Suam in hac re sententiam ita exprimit:

*Le latin a été reproduit tel quel, sans aucune part d'interprétation, par suite sans distinction de i et j, u et v; dans beaucoup d'ouvrages, i voyelle et i consonne sont également notés par i, tandis que u voyelle est noté par u, et u consonne par v; cette différence n'est pas justifiable; il faut conserver la graphie originale ou faire la distinction de la voyelle et de la consonne dans les deux cas également* <sup>98</sup>.

Audiamus quoque ANTONIUM BACCI, hodiernae Latinitatis signiferum et commentariorum quibus titulus est «Latinitas» in Civitate Vaticana moderatorem <sup>99</sup>:

«Plurimi hodie Latinitatis scriptores litteram *j/J* renuendam putant; nec desunt quoque qui litteram *v* minutam reiciant. Quamobrem in eorum libris legitur: *iam, iudicium, ius, Iulius...*; atque etiam: *uidere, uiuere, uocabulum, uita, Ouidius...* Hoc quidem idcirco faciunt, quod asseverant in antiquissimis codicibus neque *j/J* inveniri neque *u* a littera *v* differre; sed haberi

<sup>98</sup> ANT. MEILLET, *Intr. à l'étude comparative des langues indo-européennes*. Paris, Hachette 1937, 8. edic.; pag. 11; Cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymologique de la langue latine*, s. v. *iacio*: «L'état de choses est ici complexe et obscur, et ne semble pas pouvoir s'expliquer uniquement par la phonétique; les composés à préverbe «vocalique» ont dû exercer une action analogique sur les autres: de même aussi les formes de parfait, du type *abiēci*, dans lesquelles le préverbe était long «par position». La graphie a dû aussi jouer un rôle. Il est possible qu'à l'origine *abiciō* se lisait et se prononçait *abjiciō*, avec un groupe —*ii*— noté par un seul *i*, à cause de l'aversion des Latins pour les groupes *ii* et *uu* (cf. *iuenta*=*iuuenta*, *oinuorsei*=*onnuorsei*, etc.; v. M. NIEDERMANN, *Mélanges F. de Saussure*, en particulier, p. 61 et 63 n. 1). Une confirmation indirecte de ce fait se trouve dans des graphies comme *deiēcit* (présent) du Mediceus et du Romanus dans Vg. G. I 133, etc. (cf. HAVET, *Manuel*, n. 920), qui sont exactement comparables aux graphies du type *seruos, uolt*, etc.

<sup>99</sup> A. BACCI, *Lexicon*, Edit. tertia Romae 1955, pp. V-VI.

tantum *V*, cum in scribendo grandes litterarum formae adhibitae fuerint; *u* autem solummodo, cum codices minutis fuerint litterarum formis exarati; quod quidem verum est. Attamen, etsi litterae *j/J*, itemque *v* minuta decursu temporum tantummodo in usum inductae fuerint, ac deinceps doctorum virorum opera a litteris *i* et *u* distinctae sunt et non promiscuo modo usurpatae, id profecto non sine causa, non sine ratione evenit. Etenim *i* et *u* «vocales» sunt, ut grammatici dicunt, cum contra *j* et *v* «consonantes» sint habendae, atque adeo utiles videantur ad verborum scriptionem satius ac nitidius decernendam. Meo igitur iudicio, tum solummodo, cum veteres codices consulto referuntur, eis utique signis adhibendi sunt, quibus reapse iidem exarati fuere; sed cum nova excuduntur volumina, illis litterarum formis eadem componi opportunum est, quas aptior hodie ac clarior postulat scribendi ratio. Cur vero non pauci litteram *j* renuant, qui contra *v* minutam usurpent, non satis patet: eadem enim de causa, si prior respuitur, altera quoque respuatur oportet; si vero altera probatur, priorem etiam probari consentaneum est. Ad me autem quod attinet - ii mihi parcant, qui tam subtili investigatione antiquissima scripta prescrutantur - potius quam palaeographiae, Latinitati studeo, ac magis quam aridam vetustatis eruditionem, optimarum pro viribus excolo litterarum humanitatem. In pangendis inscriptionibus, ut fere omnes non modo veteres, sed hodierni etiam Latinitatis scriptores optimi solent, neque *U*, neque *J* usurpavi».

Notatu quoque digna sunt verba philologi nostri GONZALEZ DE LA CALLE, cum ait <sup>100</sup>:

*Porque no debemos prescindir del fructuoso resultado de la diferenciación gráfica, mayormente cuando con ella no falseamos, sino que acusamos con mayor relieve la distinción fonética... Nos parece tocada de un cierto carácter de nimiedad la pretensión de dar carácter de vetustez a un escrito trazando palabras como estas: uos, uobis, iugum... No cabe desconocer que con semejante resultado, se abre el camino a una serie de lamentables confusiones, puestas de relieve y reconocidas por no pocos profesionales de la Gramática.*

<sup>100</sup> GONZ. DE LA CALLE, *Varia*, p. 116.

Clarus vir V. GARCIA DE DIEGO haec habet: «La semivocal *i*, que los modernos, suelen representar por *j* tenía en latín un sonido aspirante paladial como una *y* fuerte silbante, delante de las vocales, *a*, *o*, *u*»<sup>101</sup>.

100. *Viri praeclari*.—Ceterum, sunt qui nobiscum *j* et *v* in scriptione latina retineant. Satis sit haec pauca nomina afferre: FORCELLINUS-PERIN, Patavii in Italia<sup>102</sup>; EDON<sup>103</sup>, NIEDERMANN<sup>104</sup>, ERNOUT<sup>105</sup>, in Gallia; PUSTET, librorum liturgicorum castigatissimus editor Ratisbonae in Germania<sup>106</sup>; Barcinone clamus. JOS. LLOBERA, S. J., *Grammaticae Classicae Latinitatis* auctor egregius<sup>107</sup>; JOS. JOS. MIR, Palaestrae Latinae moderator; HENRICUS BASABE, commentariorum «Perficit» moderator; JOS. GUILLEN<sup>108</sup>; STOLZ-DEBRUNNER<sup>109</sup> aliique.

101. *Sententia nostra*.—Ergo stet doctrina et praxis quam a diligentissimo Emm. Jové, magistro et «Palaestrae Latinae» conditore accepimus<sup>110</sup>, litterasque *J* et *V* retineamus, quae sonum exprimant consonantium *i* et *u*. Vecordis enim esset, cum duplicem jam signum haberemus, nunc iterum ad tempus illud regredi, quo duplici sono, vocali et consonanti, unum tantum signum parum apte adhibebatur.

<sup>101</sup> V. GARCIA DE DIEGO, *Manual de Gramatica Latina: Apéndice* p. 181.

<sup>102</sup> FORCELLINUS-PERIN, *Totius Latinitatis Lexicon et Onomasticum* 6 vols. Patavii 1950. Retinent quoque *J* et *V* litteras lexicographi plurimi: GAFFIOT, *Dict. illustré Latin-Français*; QUICHERAT-CHATELAIN, *Dict. Français-Latin*; A. BLANQUEZ FRAILE, *Diccionario Latino-Español*, Barcelona, Sopena, 1950.

<sup>103</sup> EDON, *Ecrit.*, Paris. 1882.

<sup>104</sup> NIEDERMANN, *Phonetique*.

<sup>105</sup> ERNOUT, *Morphologie hist. du latin*: In indice retinet litteras *j* et *v*. De hac re scripsit Marouzeau, REL 31 (1953) 401.

<sup>106</sup> PUSTET (Ratisbonae in Germania): *Rituale Romanum* (1937), *Missale Romanum* (1937), *Breviarium Romanum* (1940).

<sup>107</sup> LLOBERA, *Gramm. Class. Lat.*

<sup>108</sup> J. GUILLEN, *Gramática Latina*, 3.<sup>a</sup> ed. Salamanca, 1956.

<sup>109</sup> STOLZ-DEBRUNNER, *Geschichte der lateinischen Sprache*, Berlin 1953.

<sup>110</sup> JOVE, «Candidatus Latinus», n. 11, p. 4; cfr. *El P. Manuel Jové, C. M. F., notable latinista*: «Helmantica» 4 (1953), 49-50.

102. *Nota bene.*—Licebit tamen quandoque cum *i u u e n i s*-*tis* litteris *i* et *u* vim consonam tribuere; sed venia haec data sit sumpta pudenter, nempe:

1) Cum certo consilio et ratione adhibeantur velut irridendi causa, vel ad imaginem quandam antiquitatis sententiis reddendam.

2) Praeterea in verbis proprie graecis. Apud graecos enim *I* semper vocalis est, unde *iambus*, *iaspis* trisyllaba sunt verba.

3) Etiam cum per diaeresin *j* et *v* vocales fiunt, uti:

*Nunc mare nunc siluae* (Hor. Ep. 13, 2).

*Condita quin veri pectoris evoluam* (Catull. 66, '74).

Simili ratione cum per synaeresin *i* et *u* vocales consonae fiunt, potius *j* et *v* quam *i* et *u* scribendum putarem. Unde:

*vīndēmjātōr ēt invictūs cui saepē viātōr* (Hor. Serm. 1, 7, 30).

*lēntā fērēt pītūitā* (=pituita) (Hor. Serm. 2, 2, 76).

4) Demum cum necesse sit nos ad orthographiam historicam scriptionem aptare; h. e., in editionibus criticis —ut supra jam dixi— in scientificis notulis seu citationibus, in inscriptionibus, cet; nequaquam tamen, id, ut quandoque fit, novitate tantum allecti faciamus.

## B.—INDEX ORTHOGRAPHICUS

103. *Notanda.*—1) In hoc indice ea tantum verba continentur quae anam praebent dubitationi vel difficultatem quandam ratione scribendi offerunt.

2) Duae *graphiae* appositae ambae rectae et legitimae censentur. *Graphiae* intra parenthesim abditae minus probabilem scriptionem indicant.

3) Probatiores magistros in conficiendo indice magna cura pervolvi, eos praesertim qui de re orthographica consulto egerunt: Brambach, Antoine, Müller, Stampini, Llobera, Oleza, Egger.

4) Ne fusius disquisitio haec protraheretur, rationes communiter praetereo quibus scriptiones singulae constant et confirmantur. Qui eas cognoscere cupiat se conferat ad BRAMBACH, *Die Neugestaltung der lateinischen Orthographie* (Leipzig, 1868). Nonnumquam tamen, notulis infra positis, commemoramus commentarios vel opera ubi penitior explanatio et confirmatio rei inveniri potest.

5) Breviatae notae quae quibusdam verbis apponimus his vulgatis operibus signata pagina respondent:

NIED. = NIEDERMANN, *Phonétique hist. du latin*, Paris<sup>3</sup>, 1953.



SOM.=SOMMER, *Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre*, Heidelberg<sup>3</sup>; 1948.

WAL.=WALDE-HOFMANN, *Lateinisches etymologisches Wörterbuch*, Heidelberg<sup>3</sup>, 1938-1954.

ERN.=ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine*, Paris<sup>3</sup>, 1951.

EGG. *Lex.*=EGGER, *Lexicon nominum virorum et mulierum*, Romae, 1957.

EGG. *Lat.*=EGGER, *Latinitas* I (1953) 308 ss., II (1954) 76 ss.

## A

a, ab, abs

a ante consonas: a rege.

ab ante vocales et h: ab ira.

abs ante t: abs te

ab, in compositis non assimilatur: abluere, abnuere, abripere, absum, abutor, abjudico, abhorreo, abduco, abluo, abnuo, abrogo, absisto.

1) abs ante c, g, t: abscendo, abscondo, abstraho.

2) as ante p: asporto.

3) a ante m, v: amoveo, avertio, avoco.

4) au ante f: aufugio, aufero; at afui (si ex «abesse»); sed adfui, affui (si ex «adesse»).

abjicio, abjicere, abjeci: sic omnia ab jacio composita; (abicio, abicio). NIED. 34-35.

absum, afui, afuturus.

ac adhibetur ante consonantes excepta littera h; atque ante vocales et consonantes. SOM. 292.

Academia.

Accius, non Attius.

additicius, non addititius: sic omnia finita in -icius praeter proprius.

ad, in compositis assimilatur: ante c, f, g, l, m, p, t: accurro, affui et adfuit, aggredior, allicio, annitor, appono, arripio, assequor; non assimilatur ante vocales et reliquas consonas: adau-

geo, adjungo, adhibeo, adhibeo, adduco, adfringo, adveho.

ag ante n: agnosco

ac ante q: acquiro

as (ads) ante s: ascribo (adscribo), aspiro, asto

adolescens, participium et adjectivum. SOM. 108, 167.

Adolfus. EGG. *Lat.* I (1953) 308.

adsum, affui, adfui, adesse SOM. 261.

adulescens, substantivum.

adulescentia, adulescentulus.

aeneus, aenus, (aheneus). NIED. 99; SOM. 117, 120, 154, 192, 236.

aequiparare, potius quam aequare

aesculus [encina] et quae inde descendunt: aesculetum, aesculeum, non esculum.

aetherius [αἰθέριος] non aethereus.

agnosco (adgnosco).

Alexandrea, Alexandria.

Alfonsus. EGG. *Lat.* I 308.

Alfredus. EGG. *Lat.* I 308.

alioqui, (alioquin). SOM. 275.

aliquoties, aliquoties.

allium [ajo=planta]. SOM. 129.

Aloisius. EGG. *Lat.* I, 310.

alucinari, allucinari, (hallucinari)

alvarium, alvearium [colmena].

amoenus, non amenus.

ancora, non anchora.

anfractus, non amfractus,

anellus, non annellus.

an non, potius quam annon.

ante *fit* anti *in* antisto, antistes, anticipo.  
 antemna, antenna.  
 antistare, *non* antestare.  
 anulus, *non* annulus.  
 apes, apis (*non* *sing.*).  
 aquae ductus  
 arbor, *potius quam* arbor. NIED. 98; SOM. 178, 354, 360.  
 arcesso, accerso.  
 arena, harena. NIED. 100.  
 ariolor, hariolor.  
 artus, artare [*angustus*], *non* arctus, arctare.  
 assiduus, (*adsiduus*).  
 -asus, *non* -assus, *in* *verbis graecis*: Parnasus, Halicarnasus  
 atque, *semper ante vocales vel h*: *saepe ante consonas, maxime gutturales*: c, g, q. ch. SOM. 292.  
 auctor, auctoritas, *non* autor, auctoritas.  
 attrahere, attrahere: *sic alia extracto*.  
 ausus, (*aussus*).  
 autumnus, *non* auctumnus.  
 aveo, *potius quam* haveo [*anhelar*].

## B

baea, (*bacca*) [*baya, fruta*]  
 balbutio, *non* balbutio.  
 balneum, (*balineum*).

battuo [*golpear*], *potius quam* battuo.  
 belua, *non* bellua.  
 benedicere, bene dicere.  
 benefacere, bene facere.  
 beneficus, (*benificus*).  
 bibliotheca (*βιβλος*), *bybliotheca* (*βύβλος*).  
 bipartitus, bipertitus.  
 bisextilis  
 bisyllabus  
 Bonifatius <sup>111</sup>, *non* Bonifacius. EGG. 30.  
 bos, *gen. pl.* boum, *dat.* bubus (*bobus*).  
 bocola, bocolus [*novillo*]  
 braciae, arum, *non* bracciae, arum  
 brachium, <sup>112</sup>, *non* brachium. SOM. 199, 203; WAL. I 114.  
 brattea [*hoja de metal*], brattia, *non* bractea.  
 Britannia, *non* Brittonia.  
 bucina [*trompeta*], *non* buccina. WAL. I 121.

## C

C. = Gajus.  
 caecus, *non* coecus.  
 caelebs, *non* coelebs.  
 caelum <sup>113</sup>, *non* coelum; *ita et derivata*: caelicola, Caelius mons. NIED. 26, 124; SOM. 210, 229; ERN. 150; WAL. I 130.  
 caementum, *non* cementum.

<sup>111</sup> *Bonifatius*: Ab aliis minus recte scribitur *Bonifacius*; nam nominis originatio est *bonum et fatum* a «*f a n d o*»; non autem altera pars deducitur a «*f a c i e n d o*». EGGER, *Lex*. 30.

<sup>112</sup> «In scribendis formis *bracchium* et *brachium* codices editoresque sibi non constant. Formae *bracch-*, quae unica recta esse videtur, antiquissima exempla sunt». *Thes. Linguae Latinae*.

<sup>113</sup> EMM. JOVE, *Caelum, non coelum*: *Candidatus Latinus*, n. 2, pp. 49-51. A. PARIENTE, *Caelum y cohum*: *Emerita* 25 (1957) 122-233.

caenum, <sup>114</sup>, non coenum [*cieno*, *fango*].

caepe, caepa, (cepe).

caerimonia, caeremonia, non cerimonia. ERN. 151.

caeruleus. NIED. 162; SOM. 213.

caesaries, non cesaries.

caespes, (cespes).

caestus [*pugilum*], non cestus.

caetra, caetratus [*adarga*, *escudo de cuero*], *potius quam* cetra.

Camena, non Camoena.

candela, non candella.

caritas, non charitas.

Carthago, Karthago.

casus, (cassus).

cauda, non coda,

caudex, codex.

causa, (caussa). NIED. 121 - 122; SOM. 191, 209.

cedrus [*κέδρος*], non caedrus.

cena, non coena.

ceteri, non caeteri; ceterum.

ceteroqui(n), non caeteroquin.

charta, non carta.

chorda, non corda.

circum, *amittit m ante eo*; *circuire*, *circuitus*; *ceterum*, *circumāgo*, *circumdo*.

clatri [*verja de hierro*], non clathri.

Claudus, Clodius.

clipeus, (clupeus, clypeus).

coclea, (cochlea) [*caracol*].

coepi, coepisti, coeptum

coërceo, (coherceo).

collegium, <sup>115</sup>, *potius quam* conlegium.

comminus, non cominus.

comprehendo, (comprendo); *sic alia ex*prehendo.

condicio, <sup>116</sup>, *si ex verbo* «dicere»;

conditio, *si ex verbo* «condire».

SOM. 219.

con ante b, p. m. fit com: combustus, compono, committo; col ante l: collegium; co in tribus verbis conecto, conitor, coniveo; cor ante r: corripio.

conjicio, (conicio).

conjux, <sup>117</sup> (conjunx), conjuges. NIED. 73; SOM. 120, 353.

contemno, contempsi, contemptum.

contio [*asamblea*, *discurso*], non concio; *sed* concio, ex concire.

connubium [*matrimonio*], (conubium). SOM. 120, 265.

convicium [ex «voce», non convitium, [*reproche*].

coquus, (cocus) <sup>118</sup>.

cotidie, cottidie, non quotidie.

cothurnus, (coturnus).

<sup>114</sup> *Caenum*: «Forma *caen-* in optimis quibusque codd. scribitur et confirmatur linguis romanis: saepe in codd. *cen-*, raro *coen-*». *Thes. Ling. Lat.*

<sup>115</sup> *Collegium/conlegium*, cfr. *Candid. Lat.* n. 2, p. 32.

<sup>116</sup> *Condicio/conditio*: cfr. *Candid. Lat.* n. 9, p. 64.

<sup>117</sup> *conjunx*: «In scriptorum codicibus praeferrri videtur *coniunx*, in titulis paulo saepius *coniux* repperi quam *coniunx*, sed *coniunx* antiquiores habet testes; praeterea notandae formae hae: *coiux* et *coiunx* passim ab aetate ciceroniana, potissimum *coiugi* dat.». *Thes. Ling. Lat.*; cfr. *KEIL VII 155*.

<sup>118</sup> *coquus*: «Apud antiquissimos frequentissime loco *cu* syllabae *qu* ponebatur... ut *coquus*... pro *cocus*. *PRISC. gramm.* II 36 14. In titulis multo saepius *cocus*, in libris utraque forma prorsus promiscue habetur». *Thes. Ling. Lat.*

cruci figo, *sed* Crucifixus(*subst.*).  
cucullus, (cuculus) [*cucillo, capucha*].

culleus [*pellejo, odre*], *non* culeus, culeum.

cum, *non* quum, *nec* quom, *sive* *praepositio sit sive conjunctio*.  
NIED. 93, 103.

cum, *in compositis*:

1) com *ante b, m, p*: comburo, commoveo, compello.

2) con *ante c, d, f, g, j, q, s, t, v*: concedo, conduco, conficio, congero, conjungo, conquiro, consto, contineo, convoco.

3) col (con) *ante l*: collegium (conlegium), colloquium (conloquium).

4) cor *ante r*: corripio.

5) co *ante vocales, h, gn*: coalesco, cohibeo, cognosco; *tamen*: comes, comedo, comitor, comitium, *sed* cogo [*c ð + ä g o unde cōgo*].

cumba, (cymba).

cumprimis, cum primis

cupressus, (cyparissus), *non* cypressus.

cycnus, *non* cygnus.

## D

dama, damma [*gamo*]

Darēus, (Darius). Som. 64.

de di, dis: *multa verba utramque formam habent, sed plerumque differunt sensu*: degredior = descendo; digredior = abeo.

dejicio, (deicio).

delenio, *non* delinio.

deminutivum, (diminutivum).

demo, dempsi, demptum.

denuntio, *sic omnia ex nuntio composita, non* denuncio.

depeciscor, (depaciscor), depectus, (depactus) [*pactar*].

deprehendo, (deprendo).

dextera, dextra.

deversorium, (diversorium).

dicio, *non* ditio.

diaeta

dignosco, (dinosco)

dioecesis, *non* diocesis.

discidium, *non* dissidium. <sup>119</sup>.

distinguo, *non* distingo.

divisio, (divissio). NIED. 96, 121; Som. 209.

divus: sub dium, sub divum, sub dio, sub divo (sub diu) [*al aire libre*].

dolium, *non* doleum.

dumetum, (dummetum) [*lugar de matorrales*].

dumosus (dummosus), [*dumus, matorral*].

duntaxat, (dumtaxat).

dipondius, dupondius.

## E

e *praepositio, ante consonas tantum*: e re publica. Som. 299, 266.

ex *ante vocales et consonantes*: ex omni parte, ex consuetudine, ex sententia.

-e *in ablativo singulari formarum participialium in -ns exeuntium, cum aut participia sunt aut substantiva*; -i *vero cum fiunt adjectiva*: Tarquinio regnante, a sapiente, sapienti consilio, Clemente, diligenti cura.

ex, *in compositis*:

1) e *ante b, d, g, j, m, n, r, v*:

<sup>119</sup> *discidium*: «Dissidium» non esse latinam vocem ejusque loco scribendum «discidium», J. LLOBERA: Palaestra Latina, n. 25 (1933) 97-98.

ebībo, educo, egredior, ejuro, eligo, emitto, enitor, eruo, everto.  
 2) *ef ante f*: efficio, effugio.  
 3) *ex ante vocales et consonas reliquas*: exigo, exhortor, excrucio, expugno, extruo, extundo. «S» *tamen non omittenda in composititis post praeverbium ex, quamquam non proferatur; scribes, igitur*: exsisto, exstare.  
 eculeus, (equuleus) [*potro de tormento*].  
 ei mihi!, *non hei mihi!*  
 ejicio, (eicio).  
 elephantus, (elephas, *antis*), *non elephans*.  
 -endus, *non -undus, in vertis tertiae et quartae conjugationis; diligendus, audiendus; tamen -undus, saepe post i: poti-undus, ori-undus, et in formulis archaicis*.  
 epistula, epistola; *at apostolus, non apostulus*.  
 equus, *non ecus*. NIED. 41, 81; SOM. 162; ERN. 355; WAL. I 412.  
 erus, era, herus, hera. NIED. 100.  
 eundem.  
 europaeus, *non europeus*.  
 exsilium, exilium. NIED. 22.  
 exsul, exul. SOM. 167, 365.

## F

feles, felis [*gato*], *nomin. sing.*  
 SOM. 371.  
 faenero, *non fenero, nec foenero*.  
 faenus, (fenus), *non foenus [lucro]*  
 faenum, *non foenum, nec fenum, [henó]*.  
 fames, *non famis [in nom. sing.]*  
 fecundus, *non foecundus*.

femina, *non foemina*.  
 ferveo, *non ferbeo; at ferbui*.  
 fetus, *non foetus*.  
 foedus, ěris [*alianza*], *non fedus*.  
 NIED. 63, 82; SOM. 49, 76, 77;  
 ERN. vide fido 415.  
 foedus [*sucio*].  
 formidulosus, (formidolosus).  
 frenum, *non fraenum*.  
 frustrum [*pedazo*], *non frustum*.  
 futilis, (futilis).

## G

gaesum [*dardo*], *non gesum*. NIED. 3, 95.  
 Galilaea, *non Galilea*.  
 garrulus, *non garulus*.  
 genetivus, (genitivus).  
 genetrix<sup>120</sup>, (genitrix). NIED. 83, 172; SOM. 98, 108, 316; ERN. vide \*gen- / gigno 481; WAL. V. gigno I 579-600.  
 genitor.  
 gilvus [*color de miel*], *non gilbus*.  
 gleba, glaeba.  
 gratis, gratiis.  
 gyrus, *non girus*.

## H

Hadria, *non Adria*.  
 Hadrianus, *non Adrianus*.  
 haedus, *non hoedus*.  
 haeresis  
 Hamilcar, *non Amilcar*.  
 Hannibal, *non Annibal*. SOM. 148.  
 harena, arena.  
 harundo, (arundo).  
 haruspex, (aruspex).  
 Hasdrubal, *non Asdrubal*.  
 haud, *non haut, ante consonas quandoque invenitur etiam hau*.

<sup>120</sup> *genetrix*: JOVE, cfr. Pal. Lat. n. 3, p. 47.



hebēnus, (ebēnus), [*ébano*].  
 hedera, (edera).  
 hejulare, (ejulare).  
 heri, (here).  
 heres, *non* haeres, *nec* eres.  
 Hiber, Hiberia, (Iber, Iberia).  
 hiberus, (iberus).  
 hiems, (hiemps). NIED, 39, 82, 147,  
 153; SOM. 51, 182, 245, 365.  
 Hildefonsus, Ildefonsus. EGG. Lat.  
 309.  
 hircus, *non* ircus.  
 holus [*verdura*], (olus).  
 honor, (honos).  
 hordeum, *non* hordium, *nec* or-  
 deum.  
 hymnus, *non* himnus,

## I

idcirco, (iccirco). NIED. 143.  
 idyllium, *non* edyllium.  
 injicio, (inicio). NIED. 34.  
 ilico, *non* illico.  
 imbecillus, *non* imbecillis.  
 immo, *non* imo.  
 impraesentiarum [*por el momen-  
 to*], in praesentiarum.  
 in, in compositis:  
 1) im ante b, m, p: imbuo, im-  
 mitto, impello.  
 2) il, ir ante l, r: illudo, irruo.  
 3) i ante gn: ignosco.  
 4) in ante vocales et consonantes  
*reliquas*: inaedifico, inhaereo, in-  
 cedo, induco, inficio, ingenero,  
 injungo, innitor, inquiri, insto,  
 intendo, invideo.  
 inclitus, inclutus, *non* inclytus.  
 SOM. 97.

inchoo, (inchoo).  
 increbresco, *non* increbesco.  
 indutiae, *non* induciae, [*tregua*].  
 infitiari, *non* inficiari.  
 ingratis, ingratiis.  
 in primis, imprimis, (inprimis).  
 intellego, <sup>121</sup>, intellegentia, *non* in-  
 telligo; *sed tamen* colligo, deligo.  
 internecio, -onis [*ruina total*], *non*  
 internicio.  
 intibus, intibum [*achicoria*], *non*  
 intubus, intybus.  
 inung(u)o.  
 jam diu.  
 jamdudum, *non* jandudum.  
 jecur, jecoris, jecinoris, jocineris.  
 jocineris. SOM. 144, 154, 189, 277,  
 355, 381.  
 Joannis <sup>122</sup>, Johannis. EGG. 88.  
 Judaea, *non* Judea.  
 Juppiter, (Jupiter). NIED. 113;  
 SOM. 51, 154; 202, 217, 355; 374;  
 WAL. I 732.

## K

K=caput, Kaeso.  
 K. vel Kal.=Kalendae, (Calendae)  
 Karthago, Carthago.

## L

lapsus, *ex* labor, labi, *non* labsus  
 lacrimae, arum, *non* lacrymae, *nec*  
 lacrumae.  
 lagoena, lagona [*botella*], *non* la-  
 gena.  
 lanterna, (laterna),  
 lavo, lautus, (lotus).  
 lauretum, loretim.  
 lautumiae, *non* lautomiae.

<sup>121</sup> *intellego*: JOVE, cfr. Candid. Lat. n. 5, p. 80.

<sup>122</sup> *Joannes*: Hoc nomen ductum est a verbo hebraico *Yôqqânân*, quod «Domini gratia», interpretatur. Hoc nomen «*Johannes*» sic scriptum germanismum redolet, teste OLEZA, p. 749: alii vero duplicem scripturam probant.

letum, *non* lethum.  
 lēvis [*liso, bruñido*], lēvis [*leve, ligero*]. SOM. 59, 74, 113, 224;  
 WAL. I 788.  
 libet, etc. (lubet). SOM. 69, 175.  
 lira, [*surco, canal*], *non* lyra.  
 linter, (lunter) [*barca*], *non* lynter.  
 littera, (litera). NIED. 113; SOM.  
 129, 136, 203.  
 litus, *non* littus.  
 locusta, (lucusta).  
 loquela, *non* loquella.  
 loquor, loquuntur, locutus.  
 lyra [*lira, poesía*].

## M

maereo, maerorem, *non* moereo:  
*sic derivata.*  
 maestus, *non* moestus.  
 magnopere, magno opere.  
 malo, malle, *non* mallo.  
 mamma, *sed tamen* mamilla.  
 mancipium, (mancupium).  
 materia; materies.  
 Matthaeus. EGG. 125.  
 Matthias. EGG. 125.  
 Mauretania, *non* Mauritania.  
 membranaceus, membranacius.  
 mercennarius, *non* mercenarius.  
 mille; *sed tamen* milia milies.  
 NIED. 124, 125; SOM. 209; ERN.  
 716; WAL. II 88.  
 misi: mitto, misi, missum. NIED.  
 113; ERN. 724; WAL. I 97.  
 mixtus *ex* misceo, (mistus).  
 monumentum, (monimentum). SOM.  
 106.  
 multa, *non* mulcta [*poena*]; *sed*  
 «mulcta» *part. fem. ex* «mulgeo».  
 multotiens, multoties.  
 munditia, mundities, *non* mundi-  
 cia, mundicies.  
 murra, (myrrha).  
 museum, *non* musaeum.  
 Musaeus [*vates*].

myrtum, myrtetum, (murtetum).  
 Mytilene, *non* Mitylene.

## N

nactus, (nactus) <nanciscor.  
 narus, (gnarus).  
 natus, *non* gnatus.  
 navus, (gnavus),  
 ne, *non* nae (*affirmandi particula*).  
 necne.  
 neglego, (nec-lego), *non* negligo.  
 negotium, *non* negocium.  
 nenia [*canción fúnebre*], *non* nae-  
 nia.  
 nequiquam, nequicquam, (nequid-  
 quam).  
 nihilo minus, nihilominus.  
 nomisma, *non* numisma.  
 nongenti, *non* noncenti.  
 nonnumquam, *non* numquam.  
 nosco; *non* gnosco.  
 notitia, *non* noticia.  
 novicius.  
 nummus, *non* numus.  
 numquam, (nunquam).  
 nubes, *non* nubis, *nom. sing.*  
 nuntio, nuntius, *non* nuncio.

## O

ob, *in compositis.*  
 1) oc, of, og, op, *ante c, f, g, p*:  
 occido, offero, aggero, oppono;  
 2) o(s): ostendo, operio, omitto;  
 3) ob *ante vocales et consonas ce-*  
*teras*: obeo, objecto, obhorreo,  
 obbrutesco, obduco, oblido, ob-  
 nuntio, obruo, obsisto, obtineo,  
 obvenio.  
 objicio (obicio). NIED. 35.  
 oboedio, oboedientia *non* obedio.  
 obscenus, (obscaenus), *non* obscoe-  
 nus.  
 obsonium, (opsonium) [*viandas*].  
 obstipesco, (obstupesco).

obsto, *non* opsto.  
 obtineo, *non* optineo.  
 ocior, *non* ocyor.  
 omitto, *non* ommito. NIED. 116, 136.  
 onus, onustus.  
 oportet; *at* opportunus. NIED. 31;  
 Som. 107, 112; ERN. 821; WAL.  
 II 214.  
 opperior, *non* operior.  
 optimus, *non* optumus. NIED. 24;  
 Som. 100, 105.  
 orcus, *non* orchus.  
 orichalcum [*latón*], *non* aurichal-  
 cum.  
 Otho, *non* Oto.  
 otium, otiosus, *non* ocium.

## P

paelex, (pelex), [*concupina*], *non*  
 pellex.  
 paene [*fere*], *non* pene, *nec* poe-  
 ne: paeninsula.  
 paenitet, paenitentia, *non* poeni-  
 tet; *at* poena.  
 paenula [*gabán, impermeable*], *non*  
 penula.  
 palaestra.  
 pallium [*manto*], *non* paleum.  
 Parnasus, *non* Parnassus.  
 paroecia.  
 parricida, *non* paricida; *differt a*  
 patricida. NIED. 137.  
 parvi pendo.  
 Paulus, <sup>123</sup>, (Paullus). NIED. 125-  
 126; EGG. 146.  
 paulum, paulatim (paillum, paul-  
 latim).

pedetentim, (pedetemptim).  
 pedisequus, *non* pedissequus.  
 pejerare (pejurare), *non* perjurare.  
 pennae avium [*plumas*], pinnae  
 murorum [*almenas, alas*].  
 penuria, *non* paenuria,  
 per *in compositis non assimilatur*  
*nisi in pellicio*. NIED. 139.  
 percontor, (percunctor).  
 percrebresco, *non* percrebesco.  
 perennis, *non* peremnis.  
 perlego, (pellego).  
 perluceo, (pelluceo),  
 pernicies [*nec-s*], *non* pernities.  
 petorritum [*coche de cuatro rue-*  
*das*], *non* petoriturum.  
 phasēlus, *non* fasēlus,  
 phthisis.  
 pilleus, pilleum; *non* pileus, pi-  
 leum.  
 plaudo, applaudo, *sed tamen ex-*  
*plodo*.  
 poena [*ποινή*] *non* paena, *nec*  
 pena.  
 pomerium [*huerta de frutas*], *non*  
 pomoerium [=murallas de Ro-  
 ma].  
 postmeridianus, posmeridianus, *non*  
 pomeridianus.  
 Pollio, (Polio).  
 prae, *initialis syllaba semper, si*  
*excipias tantum precor, prehen-*  
*do, premo, prelum, pretium, pres-*  
*byter, proelium*.  
 praesaepe, praesaepia, (praesepe,  
 praesepis, praesepia).  
 praestolor, *non* prestulor.  
 prendo, (prendo). NIED. 59.

<sup>123</sup> *Paulus*: deribatur a verbo primitivo *pauc-s-los*. In veteribus litterarum monumentis scribitur cum una littera *l* aut gemina (*Paullus*); secundum grammaticos geminae litterae *ll* ad unam rediguntur, si eae inter duas vocales *i* interponuntur (cf. villa / vilicus, mille / milia) vel si geminae litterae *ll* diphthongum subsequuntur (paillum / paulum) Cfr. EGGER, *Lex.* 146; Som. 210.

prelum, *non* praelum.  
 pretium, *non* precium, *nec* praetium.  
 pro, *non* proh [*interjectio*].  
 proconsul, propraeator; *sed si vice alterius munere fungitur, fit divisio*: pro praetore egit.  
 proelium, *non* praelium.  
 projicio, (proicio).  
 promiscue, *non* promise.  
 promunturium, (promontorium).  
 prooemium, *non* prohemium, *nec* proemium [*prólogo*]; *sed* praemium [*recompensa*].  
 propitius, *non* propicius.  
 prorsus, *non* prorsum.  
 proscaenium, *non* proscenium,  
 protinus, (protenus).  
 provincia, *non* provintia.  
 pulcher, (pulcer). NIED. 85; SOM. 199; ERN. 962; WAL. I 384.  
 punire, *non* poenire.  
 putesco, putresco.

## Q

quadriduum, *non* quatriduum.  
 quaero, quaestio.  
 quamquam, (quanquam).  
 qua re, quare.  
 quam diu, quam primum, quam dudum.  
 quam ob rem, quamobrem.  
 quatenus, *non* quatinus.  
 quattuor, (quatuor).  
 quem ad modum, quemadmodum.  
 quendam, (quemdam).  
 querela, (querella).  
 quicumque (quicumque).  
 quicquam, *ex* quisquam, (quidquam). NIED. 143.

quinque. NIED. 73.  
 quisquis, quidquid, quicquid.  
 quin immo, (quinimmo).  
 Quintus, Quintilianus, quintilis, *potius quam* Quinctus <sup>124</sup> cet. NIED. 158; EGG. 155.  
 quod si.  
 quotiens, quoties. NIED. 156.  
 quotannis.

## R

raeda, (reda), *non* rheda [*coche*].  
 recido, reccidi, (recidi). SOM. 207. 548.  
 recupero, recipero. NIED. 23.  
 redemptor, *non* redemtor, *nec* redentor.  
 refero, rettuli, *non* retuli.  
 Regium, *non* Rhegium.  
 rejicio, (reicio).  
 religio, *non* relligio. NIED. 115; SOM. 208; «relligio» apud poetas dactylicos. ERN. 1004.  
 reliquiae, *non* relliquiae,  
 reliquus, *non* relliquus, *nec* reliquus.  
 repello, reppuli, *non* repuli. NIED. 13, 36; SOM. 207.  
 reperio, repperi, <sup>125</sup>, *non* reperi. SOM. 207.  
 res publica, (respublica).  
 retundo, rettudi, *non* retudi.  
 restinguo, restingo.  
 rettuli, *ex* refero. NIED. 36, 149; SOM. 207.  
 re vera, revera.  
 rhombus, *non* rombus.  
 robigo, *non* rubigo.  
 rotundus (rutundus).  
 rursus, rursum.

<sup>124</sup> *Quintus*: Haec scribendi ratio videtur magis probanda quam *Quinctus* etc. Ita in titulis. Cfr. EGGER, *Lex*. 155.

<sup>125</sup> *repperit*: cfr. MARINE, *Inscriptiones Hispanas en verso*, p. 43.

## S

saeculum, *non* seculum.  
 saepes [*vallado*], *non* sepes.  
 saepio, saeptum [*cercar*].  
 saeta [*cerda, crin*], *non* seta.  
 saevus, *non* sevus.  
 saevitia, *non* saevicia.  
 Sallustius, <sup>126</sup>, *non* Salustius. EGG.  
 165; WAL. II 472.  
 sanguinolentus, sanguinulentus.  
 sartum, *non* sarsum, (sartio, sarsi)  
 sario, (sarrio) [*escardar*].  
 satira, satura, *non* satyra.  
 scaena, *non* scena.  
 sceptrum, *non* scaeptrum.  
 scida [*gr. σίξια esquila, cédula*],  
 scheda.  
 sepulcrum, (sepulchrum).  
 sequor, sequuntur, secutus.  
 setius, *non* secius.  
 sescenti, (sexcenti). NIED. 159.  
 sicine, (siccine).  
 silva, *non* sylva.  
 singillatim, *non* singulatim.  
 solacium, *non* solatium.  
 sollemnis, *non* sollennis, *nec* so-  
 lempnis, *nec* solemnus.  
 sollers, sollertia, *non* solers, so-  
 lertia.  
 sollicito, *non* sollicito.  
 somnulentus, (somniaulentus).  
 spatium, *non* spacium.  
 sphaera.  
 spondeus, *non* spondaeus.  
 stillicidium, *non* stilicidium.  
 stilus, *non* stylus.

suadela [*arte de persuadir*], *non*  
 suadella.

sub, *in compositis*:

- 1) suc, suf, sug, sup, *ante c, f, g, p*: succurro, sufficio, suggero, suppono;
- 2) sus, *in suscito*, suspendo, suspicio, sustento, suspiro, sustuli.
- 3) sub *ante vocales et consonanas reliquas*: subaudio, subjungo, subbibō, subducō, subligo, submitto, subnego, subrideo, subsilio, subtexto, subveho.

subjicio, (subicio).

suboles, *non* soboles.

subrogo, surrogo.

subsicivus, *non* subsecivus.

sucus, *non* succus. NIED. 133; ERN. 1170.

Sulpicius, *non* Sulpitius. EGG. 174.

sulphur, (sulpur), *non* sulfur.

supellex, *non* suppellex.

superjacio, *non* superjicio.

supplex, supplicō, *non* suplex, suplico.

supplicium, *non* suplicium.

suscenseo, (succenseo).

suspicio [*substant. et verbum*], *non* suspitio.

syllaba, *non* sillaba.

synodus, *non* sinodus.

Syria, *non* Suria.

## T

taeter, teter. NIED. 137; SOM. 226; ERN. 1188.

tam diu, tandiu.

<sup>126</sup> *Sallustius*: Quemadmodum e veteribus litterarum monumentis ac titulis eruitur, rectius scribitur geminata littera *l*; Graeci tamen semper Σαλούστιος posuerunt. Dicitur autem nomen a *salute*; ubi, cum prior, syllaba produceretur, geminae consonantes liquidae *l* positae sunt. Cfr. EGGER, *Lex.* 166; WAL. II 472.



tamquam, (tanquam). NIED. 146.  
 tantundem, (tamtumdem).  
 tanto opere, tantopere.  
 Tarraciña, *non* Terracina.  
 tegimen, tegmen, tegumen, tegumentum.  
 temperi [*a tiempo*], *compar.* temperius.  
 tempto, tento.  
 Teresia, (Theresia) <sup>127</sup>.  
 terrae motus,  
 thesaurus, *non* thensaurus. NIED. 10.  
 tiro, *non* tyro.  
 toties, totiens.  
 trans, *in compositis*:  
 1) *tra fit saepe ante j, d, l, m, n*: trajicio, traduco, traluco, transmitto, tranato.  
 2) *tran sequente s*: transilio, transcribo.  
 3) *trans ante vocales et consonas reliquas*: transeo, transbibo, transcurro, transfugio, transgredior.  
 Trasumennus, Trasimennus, (Trasumenus).  
 treceni, *non* triceni.  
 tres [*acus.*], *non* tris <sup>128</sup>.  
 tripartitus, (tripertitus).  
 triumphus, *non* triumphus. NIED. 85; SOM. 199; ERN. 1243; WAL. II 707.  
 trophaeum, (tropaeum).

tus, (thus), [*incienso*].  
 tutela, *non* tutella.

## U

Ulixes, (Ulisses). EGG. 182.  
 umerus, *non* humerus.  
 umidus, *non* humidus.  
 umor, *non* humor.  
 umquam, (unquam).  
 unus quisque, unusquisque.  
 usufructus.  
 utrimque, (utrinque).

## V

vale dicere, valedicere.  
 valetudo, *non* valetudo.  
 venum dare, venundare.  
 Vergilius, *non* Virgilius <sup>129</sup>.  
 veri similis.  
 vertex [*remolino*], *non* vortex.  
 vesanus.  
 vilicus, *non* villicus; *sed* villa.  
 NIED. 124; SOM. 209; ERN. vide vicus 1295; WAL. II 790.  
 Vellelmus. EGG. Lat. 309; EGG. 92.  
 vicesimus, vigesimus.  
 vinulentus, (vinolentus).  
 virectum, vireum.  
 vult, *non* volt. NIED. 55.

\* \* \*

<sup>127</sup> *Teresia*: neque improbari potest scribendi modus «Theresia»; vitiose autem interdum sic exaratur: Teresa, ae. Cfr. Egger, *Lex.* 179.

<sup>128</sup> *tris/tres*: L. LAURAND, *Remarques sur quelques questions de grammaire latine*: Etudes Classiques, Namur (1939) 2-14.

<sup>129</sup> *Vergilius*: JOVE, *Vergilius, non Virgilius*: Pal. Lat. 1 (130) 5-8.—JIMENEZ DELGADO, *Vergilius, pero Virgilio*: «Helmantica», 3 (1905) 49-65.—EGGER, *Latinitas* 6 (1958) 65-66.

## CONCLUSIO

104. *Quid optandum.*—Non dubito quin plerique cum legerint haec de orthographia latina constituta principia seu normas traditas, nobis inurant novatorum aut tardiorum scriptorum notam. Sciant tamen ii ncs ita notari malle quam progressui litterarum refragari aut ea quae prudenter servanda censuimus missa facere. Utinam dies elucescat quo supremae alicujus academiae auctoritati omnes obsequantur et —quod pluries rogatum et obsecratum est <sup>130</sup>—ejusdem consilia et optata demisse ab omnibus accipiantur eidemque omnes oboedienter ac fideliter se ubique terrarum subjiciant.

Magni ex hujus academiae institutione linguae latinae provenient fructus, sicut et vernaculis linguis ex earum singulis academiis jam pridem promanarunt. Num ceteris linguis tanta esset in ratione scribendi concordia et animorum consensus nisi essent certae et definitae leges eadem suprema academia sancitae, quae scriptorum licentias coercerent? Quod vero ceteris linguis tantum commodum attulit, nonne afferet etiam linguae latinae?

J. JIMENEZ DELGADO, C. M. F.

---

<sup>130</sup> JOVE, *Candidatus Latinus*: n. 8, p. 39: «...quanto magis tuas quaestiones animo volutavi, eo plus mihi aqua, haud concordantibus opinionibus, haerebat, ut in tertia maxime earum extrincanda, infalibilem alicujus academiae linguae auctoritatem non potuerim vehementer non desiderare». J. M. MIR, *Nova et Vetera*, Barcinone 1949: Lectoribus salutem; *Viget Latinitas*, *Helmantica* 5 (1954) 390.—JIM. DELGADO, *Helmantica* 3 (1952) 485-486: *Hacia una Academia Internacional*.